Romanos ſuſcipiebat : cum eo fœdus, ac ſocietatem ineundi A cauſa. Tigrani periculoſum videbatur, tam potentes hoſtes prælio laceſſere : immò verò tutius, atque utilius eſſe, his amicis, quàm inimicis uti, frui : & ea dere conſulebat ipſum Metrodorum. At ille reſpondit, ſe, ut legatum, ſuadere : ut Metrodorum, diſſuadere. Hujus rei nomine longo poſt tempore delatus ab ipſo Tigrane Rege, capite pœnas luit : quanquam id feciſſe ſe diceret, non odio Mithridatis, ſed quò Tigranis auxilio deſtitutus bellum illud omitteret, quod, vel junctis iis ſociiſque grave, periculoſum, ac poſtremò exitioſum futurum eſſe prævidebat. *Plut. in Lucul.*

Anno 1323. cùm res toties malè geſtæ cum Scoto, jam Edovardo II. Anglorum Regi documento eſſent, ut fortunam belli timeret, ac pacem demum quæreret : negotium dedit Andreæ Carliolenſi Comiti, ut cum Scoto de concordia ageret. Is in Scotiam profectus, cùm Roberto Rege nihil de pace, ſed de bello egit : nam ſive, quòd deſperaret de rebus Edovardi, cui tam domi, quàm foris omnia infeſta erant, idque mali in primis ejus incuriæ aſſignabatur, ſive quòd ſuapte natura, præ fraudibus, & dolis, nulla re alia delectaretur, cum Scoto paciſcitur, quando, quove loco inſidiæ Edovardo intenderentur, & ut fides data, ac accepta firmior eſſet, Roberti ſororem in matri- B monium accepit. Poſt paulum de ea perfidia Rex certior factus eſt. Adeò difficilè eſt, proditionem celare, quæ mille graditur pedibus, & quocunque pergit, mille poſt ſe veſtigia relinquit, quibus facilè deprehendi poſſit. Ubi igitur Andreas Carliolum revertit à militibus regiis, qui illic hybernabant, ipſius Regis juſſu captus, atque facinoris ſtatim convictus, morte mulctatus eſt. *Polyd. l.* 18.

Convenerant Electores Principes Francofurti, ut Regem Rom. eligerent : Friderico Pulchro Auſtriæ, & Ludovico Bavariæ competitoribus. Taldemarus Marchio Brandeburgenſis cùm præſens eſſe non poſſet, miſit Nicolaum de Book Equitem, cum multis literis diplomate munitis, ac corroboratis, Fridericum Regem ſuo ſuffragio conſtituens. Eques is, quòd nihil ſe ſperaret à Friderico conſequuturum, ſimul etiam quòd plurium animos in Ludovicum cerneret inclinare, abraſa membrana, expunctoque nomine Friderici, Ludovicum ſubſtituit, contra Domini ſui voluntatem. Ob quod ſcelus Valdemarus Marchio, poſtquam intellexit electionem in aliam partem inclinaſſe proditione legati ſui, Equitem in vinculis inedia confecit. Quotidiè enim delicatiſſimos cibos ei apponi curabat, & ſtatim appoſitos à cuſtodibus devorari, ut ciborum præſentia fames magis acueretur. Alii ſcribunt binas literas militem à Marchione pari ſigillo munitas accepiſſe : quarum alteræ raſæ erant, ut illis uteretur pro occaſione. Is verò fracta fide, cùm Ludovicum delegiſſet per literas contra Domini voluntatem, animumque Domini prodidiſſet, has tandem proditionis pœnas luit. *Cuſp. A. D.*

M I L I T E S.

Scythis, qui nullum hoſtem interfeciſſet in acie, in ſolemnibus libare non poterat : reliqui initiati adeſſe non vetantur. *Herodot. l.* 4.

Apud Ægyptios, qui milites ordines reliquiſſent, aut dicto non parerent, vel injuſſi in caſtra rediſſent, de gradu dejecti, ad inferiorem redibant ſtatum. Si verò ducis conſilium hoſtibus palàm feciſſent, lingua mulctabantur. *Ibid.*

Romani manipulos, aut chortes, quæ timore, vel negligentia ordines reliquiſſent, aut in exercitu ſeditioſæ fuiſſent, ſorte ex eis delecto decimo quoque, capitali pœna mulctabant. Sic D omnium timore, quibus illud imminebat ſupplicium, & paucorum morte militarem diſciplinam ſervabant. *Fulg. lib.* 2. *c.* 1. *& Alex. ab Alex. lib.* 2. *c.* 13.

Apud Eoſdem illa inter militares animadverſiones minima habebatur, cùm ex ignavorum brachio ſanguis hauriebatur. Nam per hunc modum ſparſo ſanguine, quem pugnando effundere metuerant, manifeſtè fieri eorum ignavia putabatur. Videtur autem primitùs in militibus ſtupentis animi phlebotomia remedii loco adhibita, mox etiam in pœnæ ſpeciem degeneraſſe, quaſi minùs ſani viderentur omnes, qui delinquerent, *Gel. lib.* 10. *c.* 8. Ibidem ignavos, & deſertores in primam ſæpè ducebant aciem, & diſtrictis gladiis diſcinctos deſtituebant, variiſque ignominiis afficere ſolebant. Eos, qui pugnam detrectaſſent, aut ſeceſſionem feciſſent, qui erant fugæ, & pavoris inſimulati, jurejurando adigebant, ut non aliter, quam ſtantes ad perpetuam ignominiam facti, cibum, potumque caperent. Sæpè etiam ignavos fuſtuario plexerunt, aut in exilium miſerunt, & relegarunt, ut procul à lare ſeneſcerent. Sæpè etiam eos circumventos transfixere. Qui captivi in hoſtium poteſtatem ſua deſidia veniſſent, his arma, & ordo militandi mutatus fuit, ut equites in peditum, pedites in funditorum alas tranſcriberent : utque locum extra E caſtra aſſignatum, vallo, & foſſa non communirent. *Alex. ab Alex. l.* 2. *c.* 13.

Augustus ignavos milites foſſam fodere diſcinctos juſſit, ut eo habitu, & ſpecie deformi in omnium conſpectu præ ſe ferrent inſignem ignominiæ, & flagitii memoriam. Pecunia ſæpè mulctabat, interdum etiam eos, qui in exercitu deliquiſſent, juſſit ante ducem flexis genibus ſtare : nonnunquam lateres totum diem ferre. *Polyæn. l.* 8.

Scidlitzius Nobilis, interceſſione Legati Gallici è captivitate Turcica dimiſſus, in ſuo itinerario aſſerit, ſe vidiſſe in caſtris Turcicis, quòd ſi quis ovum, aut caſeum rapuiſſet, confeſtim delatus, morti addicebatur. Omnia namque præſenti pecunia, ut emerent, gravi edicto cautum erat. Sed & corycæi erant conſtituti, qui obſervarent, ſi quis vineam alterius læderet, aut pomum ab arbore ſine licentia Domini decerperet. In hujuſmodi enim capitali mox animadvertebatur ſupplicio. Neutiquam enim ferunt, ut ruricolis aliquod damnum inferatur, ut agrum deſerendi, & ab agricultura diſcedendi occaſionem habeant. Præclarum hujus rei exemplum refert Simon Vignoſius Ligur, claſſis Genuenſis Gubernator. Cùm F Chios, inquit, à Turcis caperetur, interdictum eſt militibus, ne quis oppidanorum bona diriperet. Baſſæ illius expeditionis præfecti filius, adoleſcens, auctoritati, & affectui paterno confidens, in vineam quandam vicinam conſcendit, & uvas aliquot collectas ſecum in caſtra intulit. Re ad patrem delata, juſſu illius filius comprehenditur, exutus veſtimentis, uvis ad collum ſuſpenſis per urbem palàm circumducitur, virgiſque atrociſſimè cæditur.

C O N S U L T O R E S.

Mosyni populi, ſi quis malè conſuluiſſe aliquando videatur, fame necant, ut malè dati conſilii ea ratione pœnas luat. *Stob. ſerm.* 42. *ex Nicolai de Moribus gentium Hiſt.*

I N T E R P R E T E S.

Cùm legatos Xerxes ad Græciæ civitates miſiſſet, eas ad imperata facienda hortantes, contigit, ut unà cum eis eſſet Græcus interpres. Themiſtocles ergo, qui eo tempore Athenis præturam gerebat, interimi eum curavit : indignam rem arbitratus, quòd ad Barbarorum arbitrium in Græciæ detrimentum Græca uteretur lingua. *Plut. in Themiſt.*

Aron cùm Occidentalium gentium legationes exponeret, G & Manuelis Comn. Imp. voluntati eas non refragari videret : legatos objurgavit, ut nimium ad juſſa exequenda paratos : monuitque, ut adverſarentur, neque tam facilè aſſentirentur. Imperatore ob Latini ſermonis imperitiam, quid dictum eſſet, ignorante. Cæterùm Imperatrix Maria, Raymundi Antiocheni F. ſermonis Latini peritiſſima, Imperatori expoſuit omnia : qui ira commotus, Aaroni & viſum, & omnes facultates eripuit. *Nicetas lib.* 4. Repetitur hæc Hiſtoria fuſius infrà, *ubi de Pœna proditionis erga magiſtratum commiſſæ.*

PARENTES. Liberos.

☞ *Ex Tit. Suppliciorum Injuſtitiæ erga Parentes, Liberorum, huc quædam.*

Cum Eupolus Theſſalus, athleta, Olymp. 98. ex iis, qui ad pugilum certamen Olympiæ convenerant, Agetorem Arcadem, & Cyzicenum Prytanin pecunia corrupiſſet, & præter eos Phormionem etiam Halicarnaſſenſem, qui in Olympiade ſuperiore de pugilatu victoriam adeptus fuerat : cùm ipſum Eupolum, tum eos, qui pecuniam cepiſſent, quòd primi ea H corruptela ludorum religionem polluiſſent, Elei in ærarios retulerunt, & ænea Jovis ſimulachra ſex conflarunt, quæ Zenes dicuntur. *Pauſan.*

A T H L E T A S.

Poſt Eupolum memoriæ proditum eſt, Athenienſium Calippum ab adverſariis quinquertii coronam pretio avertiſſe, Olympiade CXII. Et mulctam quidem cùm à Calippo, & iis, qui cum eo colluſerant, petiiſſent Elei, miſerunt Athenienſes Hyperidem eam mulctam deprecatum. Verùm cùm exorari non potuiſſent Elei, eam Athenienſes animi elationem præ ſe tulerunt, ut ne Olympicorum quidem celebritate prohibiti, indicatum ſolvere priùs voluerint, quàm Delphicus Apollo percontantibus reſponſum dediſſet, non reſponſurum ſe ante, quàm ſatis Eleis feciſſent. De ejus mulctæ pecunia ſigna Jovi erecta ſunt. *Idem.*

C A U S I D I C O S.

Causidicus quidam Mediolanenſis ita vafro erat ingenio, ut cauſas in quantumcunque vellet tempus differre poſſet. Galeacius Dux re cognita hominem acceſſit, centū ſe aureos piſtori debere

aſſerens, ſed dilationem ſolutionis gratam ſibi fore. A Pollicente cauſidico operam, eamque reipſa confirmante, graviter priùs increpitum impoſtorem, ſuſpendio necari juſſit. *Ægid. Corrozetus de Dictis, & factis memor.*

MENSARIOS, Trapezitas.

M. Porcius Cato, prætor in Sardinia, fœneratores omnes ex ea inſula exegit, & ſumptus, qui in pretorem cultum fieri ſolebant à ſociis circumcidit. Ipſe adeò frugi circumſpectaque moderatione egit, ut uno duntaxat comite, qui ſalinum ad uſum ſacrorum ferret, ſocias urbes circuiret. *Sab. l.* 6. *Enn.* 5.

Galba, qui poſteà imperavit, cùm in Hiſpania proconſul eſſet, quibuſdam menſariis præcidi manus juſſit, & menſæ eorum affigi, quia fraudulenter pecuniam tractare comperti erant. *Sueton.*

Castrutius Caſtracanis Lucenſium Dominus, cùm ſciret menſarium prædivitem ſolum vertiſſe, nec multò poſt, parva pecunia cum creditoribus pacta, menſem repetiiſſe, atque magnificas ædes ædificare cœpiſſe, in vincula conjecit : atque vocatis edicto creditoribus, pro tota ſumma ſatisfieri juſſit : & quod ultra menſario ſuperfuit, in publicum redegit. Appenſo autem menſario juxta menſam, in qua adverſus eos, qui ejus fidem ſecuti erant : fraus commiſſa erat, cer- B vices fregit. Neque enim minus ſupplicio dignum eſſe arbitratus eſt, quàm illos, qui in viatores graſſantur. Siquidem fallaces menſarii fraude eos circumveniunt, qui eorum fide ducti, pecuniam ſuam menſæ crediderunt : at graſſatores non ſine vitæ ſuæ diſcrimine, deſpoliare eos nituntur, qui nullam eis fidem habent. *Fulg. l.* 6. *c.* 3.

Anno Salut. MCCCXLVII. menſe Decembri trapezitæ Longobardi, & Itali, pulſi, ac proſcripti ex Francia ob immanes uſuras præter leges exercitas. Rex Philippus Valeſius ſortem accepit, interuſurio relicto. *Auctor Chronici Francorum.*

Paulus IV. Pp. ad Judæorum avaritiam coercendā ſalubria multa inſtituit, abrogatis ſemel cunctis privilegiis, quibus à ſuperioribus Pontificibus, & maximè à Paulo III. donati, immanes, & intolerabiles divitias per fas, & nefas congregarant. Ipſe igitur Judæorum inſolentiæ obviàm iturus, uſuram omnibus interdixit, inditiſque novis tributis, ſingulos ferè pecuniis omnibus mulctavit. Sparſos deinde, & nullis à Chriſtianis diſtinctos ſignis, in ſepta concluſos per ſingulas urbes in unum coegit, croceique coloris pileo inſignivit. *Panvinius.*

C B R U T A,

Apud Rom. anno ſupplicio canes afficiebantur inter ædem Juventutis, & Sumani, vivi in furca ſambucea arbore fixi, quòd Gallis Capitolium obſidentibus, ignavia ſua, & ſtertore Gallos aſcendentes non prodidiſſent. *Plin. l.* 29. *c.* 4.

INANIMATA. Tum in genere.

Επὶ πρυτανείῳ, Prytaneum prætorium, cùm telum, ſive lapis, ſive quid ejuſmodi in conſpectu erat, ignoto auctore cædis. Moris enim antiqui Athenienſium fuit, etiam res inanimes in judicium adducere, & judicare, an exterminandæ eſſent. *Suidas.*

In Specie. Erga
Statuas.

Corcyræi bovem ęneum in Olympia dedicarant. Puer parvulus ſub eo ſedens, cùm pronus luderet, ſublatum temere caput tam vehementer æri impegit, ut ex vulnere obierit. Elei bovem cædis damnatum extra Altim exportare in animo habebant. Verùm conſulto Apolline Delphico, bovem inconſultæ cædis crimine expiarunt, more Græco. *Pauſan. l.* 5.

Libros.

D Libri Protagoræ ſophiſtæ, eò quòd in cujuſdam principio poſuiſſet, de diis neque ut ſint, neque ut non ſint, habeo diſcere ab Athenienſibus exuſti fuerunt : auctor urbe, atque agro exterminatus. *Cæl. l.* 22. *c.* 1. *A. Lex. Cic. de Nat. deor.*

Romani libros Numæ Græcos, de diſciplina ſapientiæ, quia aliqua ex parte ad ſolvendam religionem pertinere exiſtimabantur, ex auctoritate Senatus per victimarios, facto igne, in conſpectu populi cremarunt. *Val. l.* 1. *c.* 1. *& Plut. in Numa.*

Augustus Imp. & Pont. Max, quidquid fatidicorum librorum Græci, Latinique generis, nullis vel parum idoneis auctoribus vulgò ferebatur, ſupra duo milia contracta undique, combuſſit : ac ſolos retinuit Sibyllinos : hos quoque delectu habito. *Suetonius.*

* SEPULCHRA. Cadavera.

☞ *Vide Locum de Cadavere, & Sepultura.*

IMPROBITATIS IN GENERE.

Poena justa.

Ad juſtam pœnam concurrunt perſonæ duæ. Agens, & Patiens juſta. Conſiderantur, ſimiliter res duæ, Iniuria ſcilicet, ſive Malum ipſum, à patiente admiſſum, & mulcta ab agente inflicta, per quam reducitur ad æqualitatem. Cæterùm quia ma- E *lum admiſtum, ſubjectum eſt correctionis : ea propter ex ejus varietate tituli Correctivæ Juſtitiæ diſtinguuntur, qualiſcunque fuerit mulcta ſive pœna. Hæc enim reſpectu iræ tanquam organi, ad locum Severitatis in vindicando propriè pertinet, eademque exempla Juſtitiæ inſervire poſſunt : reſpectu verò æqualitatis, ad quam per mulctam tanquam menſuram quandam fit reductio, Juſtitiæ propria eſt : quandoquidem Æqualitas ceu ſcopus eſt propoſitus, qui Juſtitiæ dat nomen, & eſſe. Jam verò ſi qualitatem perſonarum reſpicias, ſupplicia alia publica dici poſſunt, quæ à magiſtratu fiunt : alia privata, quæ à privatis : utraque tamen ab homine juſtam moliente vindictam. At quæ à Deo fiunt, vel certè ab homine juſtitiam in corrigendo delicto non collineante, non obſervante, hujus non ſunt loci, ſed ad locum potiùs Fortuitorum malorum pertinent. Juſta patitur à Clytęmneſtra interfectus Agamemnon, Trojanæ urbis everſor : at non juſtè, ab uxore ſcilicet, non juſtitiæ, ſed adulterii ſtudio. Necat Oreſtes matrem Clytęmneſtram ob necatum Agamemnonem, quàm pius erga patrem, tam impius erga matrem. Ea propter & Agamemnonis, & Clytęmneſtræ ſupplicium non inter juſta ſupplicia connumerari debet, propterea quòd perſonarum agentium conditio repugnat ; ſed inter Fructus improbitatis. Ip-* F *ſa verò Clytęmneſtrę perfidia, ipſum Oreſtis parricidium, ad Injuſtitiæ locum pertinens. Porrò ſi ſupplicium, ſive Pœna juſta per accidens conſideretur, fines quoſdam particulares habebit, ex quibus diſtinguetur. Ut enim confert ei, qui caſtigatur ad vitę correctionem,* Κόλασιν *dicitur. Ut verò ei, qui caſtigat, ſuam dignitatem, & auctoritatem hoc ultionis genere conſervare volenti,* Τιμωρία. *Ut aliis, qui ſceleratorum pœna ab improbitate deterrentur,* παράδειγμα, *& Latinis Exemplum : id quod ex Platonis Gorgia Gellius lib.* 6. *c.* 14. *annotavit.*

Si qui apud Athenienſes in iis rebus, de quibus nullæ extant leges, deliquerit, aut magiſtratus, aut orator, apud ſenatum εἰσαγγελία adverſus eum conceditur : qui ſi vehementer peccaſſe videatur, ſenatu ipſo mulctatur : ſi vehementius, æſtimata mulcta, quam ei ſolvere, aut pati oportet, tradit eum judicibus, inquit Pollux. Scribit enim Harpocratio, εἰσαγγελίαν publicorum fuiſſe delictorum, quæ propter magnitudinem, procraſtinationem non paterentur, & de quibus neque magiſtratus, neque leges magiſtratibus latæ eſſent, quibus adduci in judicium poſſent, ſed ad ſenatum, aut popu- G lum primùm deferrentur : apud quos ſi reus convictus eſſet, graviſſima pœna mulctaretur : accuſator verò, etiam ſi non damnaret, nullo detrimento afficeretur, niſi, ſi quintam partem ſuffragiorum non ferret, mulcta mille drachmarum, cùm antiquitùs pœna acerbiore afficeretur. Has verò delationes ſenatum recepiſſe in ſummis tantùm ærarii anguſtiis conſtitutum, ſcribit in oratione contra Nicomachum Lyſias. *Sig. l.* 2. *de Rep. Ath.*

TEMERITATIS POENA JUSTA.

☞ *Conſule Titulum, Severitatis parentum erga liberos, item, Ducum erga milites, quatenus Temeritas bellica punitur.*

Apud Rom. ignominiæ cauſa militibus audacioribus, qui nec animi, nec conſilii ſatis haberent, vena ſolvebatur. Quæ non tam pœna quàm medicina fuit, ut ſuperflua ſanguinis parte defluxa, ſe magis intra gyrum rationis continerent. *Alex. ab Alex. lib.* 2 *c.* 13.

Servilius Cæpio conſul cum Cn. Manlio, cùm contra Cimbros, in Italiam ruentes, temerariè pugnans, de exercitu XXCM. hominum amiſiſſet : ex juſſu populi Romani, bona ejus publi- H cata, eique imperium primo poſt Tarquinium abrogatum, ipſe in publicis vinculis extinctus, inde tractus, & diſcerptus eſt ad ſcalas Gemonias. *Livius lib* 67.

Dum Neocæſaream obſidet Joann. Comnenus Imp. Alexii F. Junior ejus F. Manuel, patre inſcio longè progreſſus, impreſſionem in hoſtes fecit : idque adoleſcentis facinus ferè totum exercitum ad dimicandum impulit, aliis æmulatione incitatis, aliis adoleſcenti metuentibus, & ab Imperatore ſe maximam gratiam inituros ratis, ſi ſua opera ab omni hoſtium inſultu defenderetur. Ac tum pater filium palàm laudibus proſecutus eſt, mox tabernaculum ingreſſus, pronum jacentem verberavit, ut audacius quàm fortiùs injuſſu ſuo hoſtes adortum. *Nicetas Choniates de imperio Joann. Comneni.*

TIMIDITATIS POENA JUSTA.

D u c u m.

Alexander Macedo quendam caſtelli cuſtodiæ prępoſitum, ob deſertam ſtationem, nece mulctavit : & alterum deſciſcentem ſagittis confixit. *Curtius.*

Hanni

Hannibal Carthaginenſium Dux, bello Punico primo in A Sicilia, & Sardinia re malè geſta, ubi claſſem ferè omnem amiſit trepidatione elapſus, ubi primùm Carthaginem venit, cruci affixus eſt. *Sabell. lib.9. Ennead.4.*

L. Quintus Cincinnatus Dictator, in eo bello, quo Equiculos ſub jugum miſit, Lucium Minutium conſulatum nullam aliam ob cauſam deponere juſſit, quàm quòd caſtra ejus hoſtes iidem obſediſſent. *Val.Max.l.2.c.2.& Liv.l.3.ab V.C.*

M. Claudium Senatus Corſis, quia turpem cum his pacem fecerat, dedidit, quem ab hoſtibus non acceptum, in publica cuſtodia necari juſſit. Semel læſa majeſtate imperii, quot modis iræ pertinax vindex? factum ejus reſcidit, libertatem ademit, ſpiritum extinxit, corpus contumelia carceris, & deteſtanda Gemoniarum ſcalarum nota fœdavit. *Valer. Max. l.6. c.3.*

L. Calphurnius Piſo Conſul, cùm in Sicilia bellum adversùs fugitivos gereret, & Titius equitum præfectus, fugitivorum multitudine hoſtium circumventus arma his tradidiſſet, his ignominiæ notis affici juſſit: cum toga laciniis abſciſſis amictum, diſcinctaque tunica indutum, nudis pedibus à mane noctem uſque ad principia per omne B tempus militiæ adeſſe coegit. Interdixit etiam ei convictum hominum, uſumque balneorum: turmaſque equitum, quibus præfuerat, adeptis equis in funditorum alas tranſcripſit. *Idem lib.2. c.2.*

Domitius Corbulo in Armeniam miſſus à Nerone, Æmilio Rufo præfecto equitum, quia hoſtibus ceſſerat, & parum inſtructam turmam armis habebat veſtimenta per lictorem ſcidit, eidemque, ut erat fœdato habitu, perſtare in principiis, donec mitterentur, imperavit. *Frontin. l.4. c.1.*

Boleslaus III. Polonorum Rex, quadragies ſepties aperto marte dimicavit, ſemper victor. Extremo prælio contra Ruſſos ad Haliciam, hoſtium multitudine, & Palatini cujuſdam fuga victus eſt, Equus, cui inſidebat, multis vulneribus debilitatus concidit. Ibi miles quidam gregarius, ſublevatum equo ſuo impoſuit: & ut patriæ magis quàm gloriæ ſuæ rationem duceret, fugaque melioribus ſe rebus ſervaret, oravit. Reverſus in Poloniam, Palatino leporis pellem, colum, & fuſum dono miſit, muliebrem ejus animum notans: qua ignominia ille ad voluntarium ſuſpendium adactus eſt. Militem verò ſalutis ſuæ auctorem, inſignibus nobilitatis, pecunia, & C poſſeſſionibus remuneratus, ad honores amplos evexit. Pudore autem, ac dolore ſtimulantibus, conſpectum hominum, & colloquia vitans, ex mœrore tandem periit. *Cromerus lib.6.*

Veneti, cùm Mahumetus Eubœam inſulam oppugnaret, Nicolaum Canalem Venetæ claſſis ducem, quòd præ ignavia obſeſſis opem non tuliſſet, perpetuo exilio damnarunt: inutilem eum civem ducentes, qui pluris vitam, quàm Chriſti religionem, patriæ honorem, & tam multorum civium ſalutem feciſſet. *Fulg. l.2. cap.2.*

Pisaurius Venetæ claſſis præfectus, Gabrieli Ripæo Veronenſi ad Obratium Dalmatiæ oppidulum oppugnandum miſſo, quòd conſpectis paucis Turcis equitibus, auxilio oppido venientibus, turpiter in fugam ſe conjeciſſet, anno Salut. M.DXXXVII. in ipſa prætoriæ prora cervices abſcidit. *Jov. l.36.*

Dum claſſem Gallicam, quæ ad Maleam appulerat, Piſaurius Venetæ claſſis præfectus conſequi cuperet, Paulus Nanus, Georgius Triviſanus, Marc. Antonius De Canalis, Nicolaus Barbadicus è colonia Cretenſi, Petrus Capitellus Appulus, ejus miſſu ad Maleam profecti, quòd Galli eſſe illis in locis dicebantur, in biremes Thracias ſeptem inciderunt, D quæ navem onerariam hominum Cretenſium à ſe captam remulco trahebant. Ea re animadverſa, biremes aggredi communi conſilio ſtatuerunt: itaque incitatis remigibus ad illas contenderunt, ſed cùm eis appropinquaſſent, timore impetiti remiges inhibuerunt, ſeſeque turpiter à congreſſu, dimicationeque continuerunt. Accidit autem paulò pòſt, ut naves triremes aliquot è claſſe Gallica, quæ non longè aberat, idem conſpicatæ, biremes Thracias magno animo aggrederentur: quæ quidem res auxit illorum dedecus, quòd eos Reip. hoſtes, quos propter formidinem ipſi dimiſerant, Galli, quorum minus intererat, virtute eſſent, atque animi præſentia conſequuti. Ob eam imbecillitatem, atque formidinem, Piſaurus annos quinque à præfecturis omnibus illos removit, ſtipendiaque ab iis emerita fiſco addixit. *Bembus lib. 6. hiſt. Ven.*

Benedicti patris imitator Hieronymus F. præfectum peditum inter ſuos Veronenſes nobilem Iaderenſi agro auctorem turpiſſimæ fugæ, ſupremo ſupplicio affecit. *Egn. lib.2. c.2.*

Benedictus Piſaurus claſſis Venetæ præfectus, Carolum Contarenum, qui magiſtratus Reip. Pylo præfuerat, oppi- E dumque ſitu, & natura communitum, hoſtibus nulla coactus vi, obſidioneque tradiderat, in ſuæ navis prora ſupplicio affecit. *Bembus lib.5. hiſt. Ven.*

Thomas Viardus patricii vir ſanguinis, ducenteſimum, & ampliùs ab hinc annum, cùm ad ſinum Dalmatiæ tuendum præfectus cum decem triremibus miſſus eſſet, nec ex Reip. dignitate rem adminiſtraſſet: quippe, qui ſex triremes à Genuenſibus capi paſſus, per ſummam ignominiam fugerat, Advocatorum Venetorum interceſſione, de conſilii ſententia in carcerem primùm conjectus, mox maximi conſilii ſententia condemnatus eſt, ut per annum in carcere ageret: quo peracto, in exilio vitam duceret extra Veneti imperii fines: id quod ſi quandoque violaſſet, deprehenſus, in carcere publico vitam finiret. *Egnat. lib.2. c.*

Michael Attendulus præerat Gallico bello, quod Venetis cum Mediolanenſibus gerebatur, univerſis copiis imperatorio nomine. Qui cum exercitu toto profectus, ut Catavagium Sforciæ obſidione ſolveret, infeliciſſimo ad eam diem rerum eventu rem geſſit. Nam fuſus, fugatuſque à Sforcia ipſe, & ſive dolo, ſive fortuna ſemel inclinante, rem nul- F lo modo ſiſti, ſervarique poſſe ratus, Brixiæ mœnibus fugiens cum paucis ſeſe incluſit. Qua tanta clade Venetus Senatus penè conſternatus, illi imperium abrogavit, Tarviſiumque in exilium miſit: ſuſpicatus non immeritò Attendulum Sforciæ faviſſe rebus, quòd utrique eadem foret patria, etiam quòd ipſe Attendulus Sforcianæ factionis eſſet, quæ tota res per Advocatorum cenſuram in decemvirali conſilio planè peracta fuit. *Idem.*

Genuenſes Lanfrancum Barbarinum maritimarum copiarum ducem (qui Admiralis vulgò dicitur) cum ſeptem viginti triremium præfectis antè domibus, magno auri pondere, ac prætereà exilio mulctarunt, quòd in Sicilia à Venetis quatuor, ac viginti triremibus, cùm ipſe ſeptem, & viginti haberet, nullo antè tentato prælio in terram deſcendens, fuerit ſuperatus. *Fulgoſ. lib.2. c.2.*

Anno Sal. 1290 cùm è duabus turribus, quibus Labronenſem portum Piſani tuebantur, Genuenſes alteram à fundamentis everſam in mare præcipitaſſent, alteram evertere aggrederentur: milites, qui in præſidio erant, ſimilem caſum veriti, Genuenſibus ſe dediderunt. Quòd ſimulac Piſani re- G ſciverunt, bona eorum in fiſcum redegerunt, uxores, atque liberos carcere manciparunt, quoſdam etiam ipſorum domum reverſos ſuſpendio necarunt. *Idem.*

MILITUM.

☞ *Conſule Tit. Severitas ducum erga milites ignavos.*

Germanis olim ſcutum in pugna amiſiſſe præcipuum flagitium fuit, ut ſacris, & publico Concilio excluderentur ejuſdẽ clade affecti. Multi tali infamiæ ſuperſtites vitam laqueo finierunt, *Sab. lib. 2. Enn.6.*

Daci, cùm Orodis Regis ductu adversùs Baſternas malè pugnaſſent, ob ultionem ſegnitiei, capturi ſomnum, capita loco pedum ponere juſſu regis cogebantur, miniſteriaque uxoribus, quæ ipſis fieri ſolebant, facere. Neque hæc antè mutata ſunt, quam hanc ignominiam bello acceptam virtute deleverant. *Juſtin. lib.32.*

Spartani illos, qui ex acie fugiunt, Treſantes, id eſt, trepidantes dicti, omnibus arcent honoribus: ſed & uxorem illorum alicui collocare, aut accipere probroſum eſt. Pulſandi eos quivis, qui in eos inciderit, jus habet. Illi tolerant, ſquallidi, & demiſſi circummeantes in lanis pannoſis colore infectis. Bar- H bam partim promittunt. *Plut. in Ageſil.*

Cuidam percontanti. Quam ob cauſam apud Spartanos, qui ſcutum abjeciſſent, notarentur ignominia, & infami vocabulo Rhipſaſpides appellarentur, qui galeas, aut thoraces, non item? Quoniam, inquit Demaratus, hæc ſua ipſorum cauſa gerunt: ſcutum verò communis exercitus gratia, ſignificans, unicuique pluris eſſe faciendam communem utilitatem, quàm propriam. Qui galeam, aut thoracem abjecit, ſeipſum prodit tantùm, & exarmat: qui ſcutum abjecit, prodit univerſam phalangem. Nam obtentu clypeorum tota acies tuta eſt adversùs hoſtium jacula. *Plut. in Laconicis.*

Uſque adeò probroſum habebatur antiquitùs clypeum abiicere, ut Lacedæmonii Archilocum è finibus ſuis juſſerint excedere, quòd ſcripſiſſet, Satiùs eſſe clypeũ abiicere, quàm interire, *teſte Plut. in Apop. Lacon.* Id Archilochi diſtichô refertur ab Ariſtophane in fabula, cui titulus, εἰρήνη, eſtque hujuſmodi:

ἀσπίδι μὲν Σαίων τις ἀγάλλεται, ἣν παρὰ θάμνῳ
A ἐντὸς ἀμώμητον οὐκ κάλλιπον ἐθέλων. *Id eſt,*
Scuto aliquis gaudet Sajorum, ego quod bene pulchrum
Deſerui nolens inter opaca rubi.

Interpres admonet, Sajos eſſe Thraciæ populos, adversùs quos bellans Archilochus, fugerit abjecto clypeo. Cujus exemplum poſteà ſecutus eſt Demoſthenes, ad dicendum, quàm pugnandum, inſtructior. Notatur *apud Ariſtophanem*, & Cleonymus hoc nomine, ut in Veſpis:

ἀπέβαλε τὴν ἀσπίδα. *Id eſt.*
Abjecit clypeum.

Quin, & *Iſocrat. in orat. quam ſcripſit de Pace*, declarat infames olim habitos, qui vel ordinem deſeruiſſent, vel clypeum abjeciſſent. Idem indicat Æſchines adversùs Timarchum, quòd qui non fuiſſet in bello, aut qui haſtam abjeciſſet, ei non licebat in concione quicquam agere. *Eraſm. in Proverbio*, ῥίψασπις.

Aristodemus Spartanus ex ccc. illis ad Thermopylas ſolus ſervatus eſt, cùm à Leonida dimiſſus eſſet: verùm Spartæ, & probro, & ignominia notatus. Ajunt etiam Pantiten quendam in Theſſaliam pro nuncio à Leonida dimiſſum, cùm poſſet pu- B gnæ in tempore intereſſe, præ ignavia, & metu in itinere dedita opera moratum, & poſt pugnam reverſum Spartam, cùm ludibrio omnibus eſſet, ſemetipſum ſtrangulaſſe. *Herod. l.7.*

Apud Syracuſanos moris fuit, ut Hipparchi, hoc eſt, equitum præfecti, militum nomina in tabulis ſciberent, ut qui in acie ordines deſeruiſſent, poſt prælium pœna notarentur. *Alex. ab Alex. lib.2. c.13.*

Eorum, qui in præliis ſigna, ordineſque deſtituiſſent, quive prorſus arma pro patria capere recuſaſſent, ignaviam, cæteri legum conditores, mortis ſupplicio coercendam cenſuere. Charondæ verò placuit, hujuſmodi viros veſtibus muliebribus indutos, medio in foro ſiſti, terque eodem ſingulis diebus ante omnium ora ſuggeſto, eodemque ornatu conſiſtere. Qua lege ſimul clementiæ, & humanitati ſatisfactum videtur, ſimul probri adjectione prudentiſſimè excogitatum, ut expiarentur, & emendarentur. Longè namque mortem præſtat oppetere, quàm tantam ignominiæ calamitatem diutiùs in media patria experiri: tamque abjecto ludibrio civibus ſuis, vulgoque vitam perpetuò obnoxiam trahere. *Diodor. l. 12.*

Fugatis ad Canuſium Romanis ab Hannibale, M. Marcellus milite pro concione graviter increpito, cohortibus, à quibus C fuga incœperat, hordeum dari juſſit. Centuriones manipulorum, quorum ſigna amiſſa fuerant, diſtrictis gladiis diſcinctos deſtituit. *Ex Plut. in Marcello, Sab. lib.4. En.5.* Sequenti pugna eoſdem inter primas acies frequentes induxit, ut quod ignominiæ acceperant in aliis præliis, periculo ſuo expiarent. *Alex. ab Alex. l.2. c.13.*

P. Valerio conſuli Senatus præcepit exercitum ad Sirim victum ducere Serinum, ibique caſtra munire, & hyemem ſub tentoriis exigere: *Frontin. lib.4. c.1.*

Appius Claudius, ex his, quos loco ceſſiſſe noverat, decimum quemque in conſpectu exercitus fuſte percuti juſſit *Alex. ab Alex. lib.2. c.13.*

Aquirius ternos ex centuriis, quorum ſtatio ab hoſte perrupta erat, ſecuri percuſſit. *Frontin. lib.4. c.1.*

Fabius Rullus Conſul, ex duabus legionibus, quæ loco ceſſerant, forte ductos, in conſpectu militum ſecuri percuſſit. *Idem.*

L. Paulus Æmilius, eos, qui non fortiter pugnando hoſtibus ſe oppoſuiſſent, aut turpiter fugam adornaſſent, elephantis dilaniandos objecit. *Alex. ab Alex. lib.2. cap.13. & Val.* D *Max. lib.2. cap.2.*

Senatus Romanus, cùm illos, qui apud Cannas Remp. deſeruerant, Q. Fulvio, & Appio Claudio Coſſ. ultra mortalium conditionem in Siciliam relegaſſet: acceptis à M. Marcello Coſ. literis, ut eorum ſibi opera ad expugnationem Syracuſanorum uti liceret: reſcripſit, indignos eſſe, qui in caſtra reciperentur. Cæterùm ſe ei permittere, ut faceret, quod expediret Reip. judicaſſet, dum ne quis ex eis munere vacaret, aut dono militiæ donarentur, aut in Italiam donec hoſtes in ea eſſent, accederet. *Val. Max l.2. c.2. & Liv.5. ſecundi belli Punici, & Frontin. l.3. c.1. & Plut. in Marcello.* Conſimili animo, cùm Senatui Hannibal ſex millium Romanorum, quæ capta in caſtris habebat, redimendorum poteſtatem feciſſet, conditionem ſprevit: memor, tantam multitudinem armatorum juvenum, ſi honeſtè mori voluiſſent, turpiter capi non potuiſſe. Quorum neſcio utrùm majus dedecus fuerit, quòd patria ſpei, an quòd hoſtis metus nihil in his repoſuerit: hæc pro ſe, ille ne adversùs ſe dimicarent parvi ducendo. *Val. Max. lib.1. cap.2.*

Bello Tarentino, cùm attrita ferè Reſpublica eſſet diutino bello, ex Appii Claudii ſententia decreverunt Romani, poſt E receptos à Pyrrho captivos, ut ex iis, qui equo meruerant, peditum poſthac numero militarent: qui verò pedites, in funditorum auxilia tranſcriberentur: neve quis eorum intra caſtra tenderet, neve locum extra aſſignatum vallo, aut foſſa cingeret, neve tentorium ex pellibus haberet: recurſum autem iis ad priſtinum militiæ ordinem propoſuerunt, ſi quis bina ſpolia ex hoſtibus tuliſſet. Quibus ſuppliciis compreſſi milites, ex deformibus Pyrrhi munuſculis acerrimi hoſtes extiterunt. *Val. Max. lib.2. c.2. Frontin. lib.4. c.1.*

Juba Rex ſeveriſſimus in delinquentes milites, deſertores, qui loco amiſſo in caſtra aufugerant, cruce afflixit. *Alex. ab Alex. lib.2. cap.13.*

Domitius Corbulo contra Armenos miſſus, duas alas, & tres cohortes, quæ ad caſtellum initio hoſtibus ceſſerant, extra vallum juſſit tendere, donec aſſiduo labore, & proſperis excurſionibus redimerent ignominiam. *Frontin. lib.4. c.1. & Alex. ab Alex. lib.2. c.13.*

Octacilius Craſſus Conſul, eos, qui ab Hannibale ſub jugum miſſi redierant, tendere extra vallum juſſit, ut imminuti aſſueſcerent periculis, & adversùs hoſtem audentiores F fierent. *Frontin. lib.4. c.1.*

L. Sylla cohortem, & centuriones, quorum ſtrationem hoſtis perruperat, galeatos, & diſcinctos perſtare in principiis juſſit. *Idem.*

M. Craſſus, cùm Mommium Legatum ſuum Spartanus fudiſſet, quingentos primos, à quibus initium fugæ ortum fuerat, decimavit: quod vetus ſupplicii genus longo intervallo reduxit in exercitu. Huic enim generi pœnæ adjuncta infamia eſt, inſpectantibuſque omnibus, horrendum, & triſte ſpectaculum editur. Ita correctis militibus duxit in hoſtem, & quanquam occiſorum in ea animadverſione numerus ad quatuor millia conſcenderet: tamen cùm poſteà hoſtem ſemper vinceret, docuit plus virium ea animadverſione exercitui additum, quàm occiſo tanto numero eſſe detractum. *Plut. in Craſſo.*

M. Antonius III. vir, cùm Phraata urbem Parthorum obſideret, & excurſionem Medi in aggerem feciſſent: & propugnatores conſternaſſent terrore: animadvertit in eos, qui loco ceſſerant, decimatione. Diviſis enim per denos legionibus, decimum quemque ſorte ducta interfecit: cæteris pro tritico admenſus eſt hordeum. *Plut. in Ant. & Front. l.4. c.1.*

Judæi incenſo Templo à Titi militibus, per medios ho- G ſtes elapſi, vivos duos milites Romanos cepere, unum equitem, alterum peditem: & peditem quidem interfectum per omnem traxere civitatem, velut uno corpore omnes Romanos ulciſcerentur: eques verò, quidam his quod ſaluti foret, ſuadere pollicitus, deducitur ad Simonem ducem. Cùmque ibi, quæ diceret, non haberet, Ardalæ cuidam ex numero ducum traditur puniendus. Is autem cum revinctis poſt terga manibus, oculiſque faſcia obſtrictis, in conſpectum Romanorum veluti capite cæſurus produxit. Verùm ille, dum gladium Judæus educeret, ad Romanos refugit. Tunc Titus, quoniam ab hoſtibus eſſet elapſus, non eſt paſſus quidem occidi: indignum verò eſſe Romanorum militem judicavit, quia vivus fuerat captus: & armis ablatis eum agmine pepulit. *Joſeph. l.7. c.14. belli Judaici.*

Julianus Auguſtus, cùm bellum adversùs Perſas gereret, & tres cohortes à parvo hoſtium numero in fugam compulſæ eſſent: decem, à quibus primò fuga cœpta erat, militia exauctoratos capite mulctavit. *Fulg. lib.2. c.2. ex Ammian.*

ATHLETARUM. H

Signum Jovi in Olympiade Serapionis pancratiaſtæ multa ab Eleis dicatum eſt. Damnatum timiditatis tradunt, quòd prima poſt ducenteſimam Olympiade, pridie quàm pancratium committeretur, adverſariorum metu ſolum verterit. Id uni illi accidiſſe, & nemini præter eum, ſive Ægyptius, ſive è quavis terra fuerit, affirmat. *Pauſan. lib.5.*

FILIORUM.

M. Scaurus filium, quòd in ſaltu Tridentino loco hoſtibus ceſſerat, in conſpectum ſuum venire vetuit. Adoleſcens verecundia ignominiæ preſſus, mortem ſibi conſcivit.

INTEMPERANTIÆ ALIMENTARIS
POENA JUSTA.

Lucani, ut aliorum criminum, ſic etiam luxuriæ cauſas agunt. Et ſi quis homini luxurioſo mutuaſſe aliquid convincatur, privatur mutuo dato. *Stob. ſerm.42. ex Nicolai de Morib. gent. hiſt.*

C. Fabricinus Lucinus, Qu. Æmilius Pappus Cenſores, Pub.

Corn.

Cornelium Rufinum, qui bis conſul, & dictator fuerat, ſenatu A moverunt: nullam aliam ob cauſam, quàm quòd compeririſſent eum cœnæ gratia, decem pondo argenti habuiſſe, *Livius, & Bruſon. lib.* 1.

IN SPECIE. Nimirum.

CIBORUM.

Scipio Africanus Junior Adoleſcentem nota cenſoria dignum judicavit, qui in Carthaginis oppugnatione cùm ſumptuoſiorem inſtruxiſſet cœnam, ſimul ex melle appoſuerat libum in Carthaginis formam concinnatum, juſſeratque per luſum, ut facto impetu, perinde ac præliis fieri aſſuevit, μελιπήκτων diriperent: ſic enim placentam vocabat, tanquam ex melle concretam, fermentatamque. Quærente autem eo, quodnam ob ſuum peccatum equus adimeretur? Quoniam, inquit Scipio, me prior urbem hoſtium diripuiſti. *Cælius lib.9. c.13. Antiq. Lect.*

Cùm ad Auguſtum delatum eſſet, Erotem, ſive Erotheum Ægypti procuratorem emiſſe coturnicem, in pugna ſuperantem omnes, ac prorſus invictam, eamque aſſam devoraſſe: juſſit acciri hominem, & diſcuſſa cauſa, confeſſum malo navis affigi juſſit: vita judicans indignum, qui ob tantillam gulæ voluptatem non peperciſſet avi, quæ pugnando diù, multiſque B potuiſſet eſſe voluptati: præterea, quæ læto quodam omine, Cæſari perpetuam in bellis proſperitatem portenderat. *Plutarch. in Rom. Apopht.*

Quidam pueruli ſui nimio amore correptus, rogatus ab eo ruri, ut omaſum in cœnam fieri juberet, cùm bubulæ carnis in propinquo emendæ nulla facultas eſſet: domi bove occiſo, deſiderium ejus explevit, eoque nomine publica quæſtione Romæ afflictus eſt, actuſque in exilium, tanquam colono ſuo interempto. *Val. l.8. c.1. & Plin. l.8. c.45.*

POTUS, POTATIONIS, EBRIETATIS.

Quorum. Videlicet

In genere.

PITTACUS Mitylæneus temulentos, ſi quid deliquiſſent, duplici pœna puniri curavit: ut formidine ſupplicii à vino promptiùs abſtinerent. *Alex. ab Alex. l.3. c.11. & Laert. l.1. c.5.*

Apud Hiſpanos hodie ebrietas tanto habetur odio, ut ne teſtimonii quidem dicto ei, qui huic vitio obnoxius vel ſemel fuerit, permittatur.

Regum.

Indi, niſi ſacrorum cauſa, vinum non bibebant: apud quos conſtitutum erat, ut ſi quæ mulier regem temulentum occidiſſet, hoc donaretur munere, ut ſucceſſori nuberet. *Alex. ab Alex. l.3. c.11.*

C Athenienſes cùm ebrietatis vitium in omnibus improbarent, ex Solonis inſtituto ebrium principem morte mulctabant. *Laert. in Solone.*

Mulierum.

Non licebat vinum feminis Romæ bibere. Invenimus inter exempla, Egnatii Mecennii (*Val. l.6. cap.3.* Metellum vocat) uxorem, quòd vinum bibiſſet è dolio interfectam fuſte à marito: eumque cædis à Romulo abſolutum. *Fabius Pictor in Annalibus ſuis* ſcripſit, Matronam quòd loculos, in quibus erant claves vinariæ cellæ, reſignaviſſet, à ſuis inedia mori coactam.

Cato, ideò propinquos feminis oſculum dare, ut ſcirent an temetum olerent, hoc tum nomen vino erat, unde & Temulentia appellata. *Plin. lib.14. cap.13.*

Cn. Domitius Judex pronuntiavit in cauſa ejus Mulieris, quæ quòd vinum bibiſſet, morbo ſe excuſabat: videri plus vini bibiſſe, quàm valetudinis cauſa, viro inſciente: & ideò dote mulctavit. Ideòque & Pompilium Faunum Fatuam Faunam virgis myrteis ad mortem uſque cecidiſſe, quòd contra morem D decuſque regium, clàm vini ollam ebibiſſet, & ebria facta eſſet. *Ærodius ex Plin. l.14. c.13. & Lactan. l.1. c.22.*

Ægrorum.

Apud eos Locros, qui magis vergunt ad Zephyrum, ſi quis merum ſine medici imperio medicamenti gratia biberit, capitis damnatur, quam legem tulit Zeleucus. *Athen. l.10. c.9.*

Quo Tempore.

Antigonus Rex milites quoſdam videns thoracibus, & galeis indutos ſphæra ludere, delectatus eſt hoc ſpectaculo, ac duces illoru accerſiri jubet, ut eos coram illis laudaret: verùm ubi nunciatum eſſet, duces bibere, præfecturas illorum militibus dedit, qui ſphæra luſerant armati: ſimul & ducum ignaviam puniens, & militum ſtrenuitatem honorans. *Plut. in Apopht.*

C. MARIUS magno labore præturam aſſecutus, cùm accuſaretur, largitione eam obtinuiſſe: atque inter conjecturas illud adduceretur, quòd Sabaconus miniſter Caſſium intra ſedilia conſilii adire viſus erat: Sabaconus de eo interrogatus, excuſavit à ſe Caſſium accerſitum, ut ex cantarulo, quem ſecum habebat, biberet, quem ei poſteà remiſit. Is igitur à Cenſoribus fuit notatus. Nam ſive largitione uſus id negaret ob prætorem, ſive verum eſſe eum ob id ſolum ut biberet Caſſium vocaſſe, E ob intemperantiam nota dignum cenſuerunt: quòd publico in loco, ubi munus publicum gereretur, bibere non erubuiſſet. *Fulgoſ. l.2. c.4. & Sab. lib.2. En.6.*

LIBIDINIS POENA, PUNITIO VARIA.

ut puta

ADULTERII, STUPRI.

☞ *Vide in loco de Adulterio, Luxuria &c. nonnulla. Hæc tamen loco etiam pleraque adiicimus.*

ADULTERI POENA QUIBUS, ET A QUIBUS INFLICTA. Puta

PRINCIPIBUS, MAGISTRATUI.

☞ *Vide Tit. Tyrannorum, & Tyrannicidarum.*

Graviſſima hæc Senatus, Populique Romani ſententia fuit, quæ propter Lucretiæ ſtuprum, aliaque infinita, ac tyrannica facinora, de Imperio abrogando Tarquinio Superbo regi pronunciata eſt: uxore, ac liberis, Tarquiniiſque omnibus eiiciendis ex urbe, Italiæ finibus: hac cum maxima ſanctione, ut ſi quis unquam de reducendo Rege cum populo ageret, ei capitale eſſet. *P. Ærod. ex Dion. Halic. l.3. Livio, lib.1. Dec.1.*

CHILDERICUS Merovei F. Francorum Rex, ob attentatam illuſtrium feminarum pudicitiam, conjuratione Procerum in F Thuringiam profugere coactus fuit. *Æmil.*

Norvegienſes feminæ armatæ, ope Regneri Danorum Regis, Sivardum Sueonum regem ob ſtupra frequentia bello victum trucidarunt, *Jo. Magnus l.17. c.4.*

URBINI Dux Oddo, matre Columnenſi nobiliſſima natus, cùm per libidinem in matronas nobiles debaccharetur, nec modum licentiæ faceret, à Populo interfectus eſt, cum Protonotario Carpenſi, adoleſcentiæ ſuæ corruptore, & libidinum magiſtro. Cadaver ejus in forum delatum, exſecta virilia ori immiſſa. *Æneas Syl. c.61. Europæ.*

MILITIBUS, DUCIBUS.

ARISTOMENES Meſſenius milites quoſdam, qui Spartanas captivas ſtuprare volebant, ſua manu interfecit. *Pauſan. in Meſſenicis.*

PHILIPPUS cum Thebanis bellum gerebat. Æropus, & Damaſippus duces è lupanari conductam mercede pſaltriam in caſtra duxerunt. Philippus re cognita, duces ambos è ſui regni finibus exterminavit. *Polyæn. l.4.*

Cùm ad Alexandrum Magnum delatum eſſet, mercenariorum quorumdam militum uxores à Damone, & Timotheo Macedonibus, qui ſub Parmenione merebant, conſtupratas. Parmenioni per litteras mandavit, ſi manifeſti criminis fo- G rent, ut eas tanquam natas ad hominum corruptelam belluas puniret, atque interficeret. Ac de ſemetipſo in hac epiſtola ad verbum ſcripſit: Ego enim non ſolùm non vidiſſe inveniar Darii uxorem, aut videre cogitaſſe: verùm nec verba facientes de ejus decore, ſuſtinuiſſe audire. *Plut. in Alex.* Idem in Aſiam proficiſcens, ignavos, & probroſos milites in ſinu Ceramico reliquit, inſula parum à continente diſtante, quæ Cinæpolis inde dicta fuit. *Plin. lib.5. cap.31.*

Q. Sertorius, qui bellis civilibus unus Marianarum partium erat, cùm in caſtris tabernaculum ſuum ſatis propinquum ſervis haberet, qui à Mario liberati militabant: quia nimis licenter opibus, Romaniſque mulieribus abutebantur, imperatos eos, utpote qui vini non vererentur, adortus, quatuor ex eis millia occidit: affirmans, malle ſe illis militibus, etſi magnoperè neceſſarii erant, carere, quàm Romanis illatas injurias non ulciſci. *Ful. l.7. c.3.* Idem ob unius militis laſciviam, luxuriam- H que nimis infamem, atque importunam erga inimicam mulierem, univerſam cohortem, quia iſtius argumento neceſſe eſſet, & deteriores alios continere, ultore gladio delevit. *Appian. l.1. Bellorum civilium.*

ALEXANDER Severus militarem diſciplinam tam ſeverè rexit, ut ad Perſicum bellum profecturus, totam legionem ademptis armis exauctoraverit: quia apud Daphnem in Syria milites ſcortari, intempeſtivæque potationi indulgere dicerentur. Nec priùs reſtituit, quàm in tribunos, qui omnium fuerant malorum cauſa, ſit publicè animadverſum. *Sabell. l.6. Enn.7.*

AURELIANUS Imperator, in vindicando militis ſui cujuſdam cum hoſpitis uxore adulterio, duarum arborum capita priùs inflexit, poſteà ad pedes militis alligavit: poſtremò ferri ſuo impetu dimiſit, ut ſciſſus, ac diſtractus à ſe, ille utrimque pendens, reliquis diſciplinæ publicæ pulcherrimum exemplum ederet. *Vopiſcus.*

Sforcia Magnus, equitem è Ferraria nobilem, qui contra edictum, vel ſæpe admonitus, ſcortum adoleſcentis armigeri habitu, circumtonſa Cæſarie habebat in caſtris, pudenda ludibrii

brii pœna affecit: cùm muliebri veſte indutum, per caſtra A armato in equo circumduci, oſtentarique juſſiſſet. *Jovius in vita Magni Sforciæ.*

SENATORIBUS.

CETHEGUS Senator ſub Valentiniano, cùm adulterii reus delatus eſſet, ei caput amputatum eſt. *Am. Marcellin. l.23.*

LEO Armenius Imp. oratus à quodam, qui uxorem à Senatore quodam ſibi raptam eſſe querebatur, & addebat, ſe fruſtrà præſidiis opem imploraſſe: crimine probato ſtatim præſidi poteſtatem abrogavit, ipſeque cauſa cognita, raptorem legibus puniendum tradidit. *Zonaras.*

MATRONIS.

SESOSTRES Rex Ægyptiorum luminibus orbatus, conſulto oraculo reſponſum acceperat, fore ut ei tum viſus reſtitueretur, cùm in eam mulierem faciem intendiſſet, quæ pudicè cum marito ſuo viveret. Id expertus in uxore, aliiſque plurimis, nihil profuit: donec ad infimam, & abjectam hortulani uxorem perveniſſet: nam tum certè ſanatus eſt. Itaque citra ullam aliam inquiſitionem, ut ſui numinis erga populum religionem confirmaret, quam aut caſu, aut illicitis artibus, aut ſanè divinitùs in ſe expertus eſſet: placuit ei uxore repudiata, B in eam, aliaſque omnes impudicas, & corruptas mulieres animadvertere, hoc modo: juſſit eas in villam convenire, ibique ſimul cum illa conflagrari. Cæterùm quam pudicam nactus erat, duxit in uxorem. Ægyptii deinceps locum illum, Sacram glebam appellarunt. *Diod. Sic. lib.1.*

Quo anno victi ad Cluſium ſunt Galli, & Samnites, fuit annus rebus bellicis felix, ſed civitati peſtilens, variiſque prodigiis ſollicitus: nam & terram mulctifariam pluiſſe ferunt, & in Appii Claudii exercitu plerique fulmine icti ſunt. Ob quæ prodigia ſunt libri Sibyllini aditi, & Q. Fabius Gurges, Fabii Max. Conſulis ejus anni filius, aliquot matronis ſtupri damnatis, ex mulctato ære Veneris ædem ad circum maximum ſtatuendam curavit. *Sabell. lib.9. En.4.*

Romæ in publicum egredi togatæ cogebantur mœchæ. Hinc *Martial.* illud:

Thelim viderat in toga ſpadonem,
Damnatam Numa dixit, eſſe mœcham.

Cælius lib.21. cap.47. A. L.

C C. MARIUS Conſul Fanniam impudicam, adulterii ream quatuor aſſibus damnat. *Plut. in Mario.*

TIBERIUS Cæſar matronas proſtratæ pudicitiæ, quibus accuſator publicus deeſſet, ut propinqui Majorum more de communi ſententia coercerent, auctor fuit. *Sueton.*

Galitta nupta Tribuno militum, & ſuam mariti dignitatem Centurionis amore maculaverat: maritus Legato Conſulari, ille Cæſari ſcripſerat. Trajanus excuſſis probationibus, Centurionem exauctoravit, & relegavit. Martius admonitus, ut perageret accuſationem, peregit invitus, nempe vitandæ ignominiæ cauſa. Itaque uxor, damnata, pœnis legis Juliæ relicta eſt. Sed ne Imperator omnes ejuſmodi cauſas revocare ad ſe velle videretur, nomen Centurionis, & commemorationem diſciplinæ militaris, ſententiæ adiici voluit. *Plin. Nepos l.6. Epiſt.*

MERETRICIBUS.

Domitianus impudicas palàm mulieres ſuccedendi in legatis jure, atque in publicum lecticæ uſu privavit. Arbitratus, eas, quæ gentis ipſius unde eſſent ortæ, ac privatum ſuum, publicumque honorem contempſiſſent, non debere ullius publici honoris, aut privati commodi partem habere. D *Fulgoſ. l.2. c.4. ex Sueton.*

ÆQUALIBUS.

In Hiſpania Tarraconenſi, me puero, tres Virgines, ſodalem puellam, quam in obſcœno facinore deprehenderant, prælargo linteo præfocarunt, inquit *Vives de Chriſt. fem. l.1.*

LIBERIS A PARENTIBUS.

Phillone ab hercule conſtuprata, à Patre feris expoſita fuit.

Temnes Tenediorum Rex, ob falſam de adulterio commiſſo ſuſpicionem in mare projectus, ac Deorum benignitate ſervatus, cùm Tenediorum Imperio præficeretur, ſtatim legem tulit, ut ſi quis adulterum deprehendiſſet, eos ſecuris trucidaret. Deprehenſo verò filio ipſius, cùm is, qui deprehenderat, regem quid faciendum rogaſſet, reſpondit: Lege uteretur. Ob hanc cauſam in altera parte numiſmatum ſuorum ſecurim inſculpſit, in altera viri, atque mulieris faciem ex uno collo dependentem. *Heraclid. in Polid.*

HIPPOMENES Athenienſis, dum unus ex Codridis eſſet, ac filiam Limonem in adulterio deprehendiſſet: hunc quidem ad currum alligatum interfecit: illam verò cum equo ſub jugum conſtrinxit, donec mortem obiret. *Ibid.*

ZALEUCUS Legiſlator Locrenſis, vir juſtiſſimus, cùm filius adulterii crimine damnatus, ſecundùm jus ab eo conſti- E tum utroque oculo carere deberet: ac tota civitas virtuti, ac meritis patris crimen condonaret: Ipſe ſibi non pepercit, ſed ſuo priùs, deinde filii oculo eruto, viſum utrique reliquit. *Val. Max. l.6. c.5.*

PONTIUS Aufidianus, Eques Romanus, poſtquam comperit filiæ ſuæ virginitatem à pædagogo proditam Fannio Saturnio: non contentus ſceleratum ſervum affeciſſe ſupplicio, etiam ipſam puellam necavit. Ita ne turpes ejus nuptias celebraret, acerbas exequias duxit. *Val. l.6. c.1.*

P. ATILIUS Philiſcus, in pueritia corpore queſtum à Domino facere coactus, ſeverus poſteà pater fuit. Filiam enim ſuam, eo quòd ſtupri ſe crimine coinquinaverat, interemit. Quàm ſanctam igitur in civitate Rom. pudicitiam fuiſſe exiſtimare debemus, in qua etiam inſtitores libidinis, tam ſeveros ejus vindices evaſiſſe animadvertimus? *Val. l.6. c.1.*

AUGUSTUS nulla tanta cura filiam Juliam, nepteſque obſervare potuit, ut eas ab adulterio compeſceret: & quanquam ab earum viris rogaretur, ut crimen condonaret: in inſula Pandateria eas incluſit, mox in oppido Rheginorum: nullo eos unquam alio dignatus nomine, quàm ut vomicas, & carcinoma- F ta appellaret: morienſque teſtamento prohibuit, eas ſepulchro ſuo inferri, tanquam illarum oſſa piaculum corpori ſuo illatura eſſent. *Ful. l.6. c.1. ex C. Tacit. & Dione.*

NURIBUS.

PHILIPPUS Gallorum Rex, cognomento Pulcher, ſe in nurus ſuas ſeverum valde geſſit. Huic tres filii erant, Ludov. Navarrenſis Rex, Carolus Marchiæ, & Philippus Pictorum Comites. Majoris natu uxori fuit Margarita Borbonii Ducis filia: ſecundi Blanca, Burgundiæ Comite patre orta: cujus etiam filia fuit Joanna, quæ poſtremo filiorum nupſerat. Cùm igitur Philippus has minùs pudicè agere, quàm regias, id eſt, pudicas nurus, ut æquum erat, in cuſtodia obſervari juſſit, ac criminum diſquiſitione habita, Pictonumque Comitis uxore, crimine, qua innocens erat, facto judicio liberata, alias duas perpetuo carceri addixit, ut in eo miſerè vitam agerent. Philippum autem, atque Gualterem Andegavenſes fratres, qui adulteri erant, adempto ab eorum tergore corio, ſuſpendit. *Ful. l.6. c.1. & Chronicon Francorum.*

SORORIBUS. G

Patrum memoria in Hiſpania Tarraconenſi duos fratres, quòd ſororem, quam virginem credebant, ferre uterùm deprehendiſſent, dolore quouſque enixa eſſet diſſimulato, & cohibito, ſimul ut fœtum utero emiſit, inſpectante obſtetrice, gladiis in ventrem adactis confecerunt. *Vives lib.1. de Chriſt. fem.*

CONJUGIBUS.

HYETTUS Argivorum Rex, cùm Molurum Ariſbantis F. cum uxore ſua deprehendiſſet, eum interfecit, primus adeò de adulterio pœnas ſumpſit. Argis profugus ab Orchomeno Rege Orchomeniorum, agri magni parte donatus fuit. *Pauſan. lib.9. in Bœoticis.*

Veteri ſcito apud Rom. cavebatur, ut maritus uxorem in adulterio deprehenſam impunè necaret: illa tamen, ſi vir adulteraret, judicio agere non poſſet. *Alex. lib.4. c.1.*

MESSALINA uxore Claudii Imp. cùm eo luxuriæ prorupiſſet, ut ſeſe nunc in Palatio, nunc in lupanari proſtitueret, multis etiam maritis, quaſi legitimè nuberet: tandem inquiſitione facta, ob id à marito ultimo ſupplicio damnata eſt, *Dion. l.60.*

LUDOVICUS Breſei F. Normaniæ Seneſchallus, Carlottam H Agnetis Bellæ ex Carolo VII. F. uxorem ſuam, à qua laſſus ex venatione reverſus ſecubabat, cùm Joanne Laverno Pictavienſe, indicio Joannis Pharmacopœi deprehenſam, cum adultero ſingillatim confodit. *Gagvinus, & Ful. l.6. c.1.*

RODULPHUS GONZAGA, Frideric. Mantuani Marchionis frater, cùm eſſet in caſtris, uxorem parum pudicè agere certior factus, deprehenſi in facinore uxoris faciem adulteri ſanguine reſperſit, & demùm occidit. *Fulg. ibid.*

FRANCISCUS Gonzaga conjugi Agneti, Bernabovis, Vicecomitis filiæ, qui Mediolani rerum potiebatur, caput adimi juſſit, quia eam manifeſtè in adulterio deprehenderat. *Fulg. l.6. c.1. & Egnat. eodem.*

ANNA Bolena ob adulterium ab Henrico IIX. Rege Anglorum ſecuri perſecuſſa. *Jovius lib.35. Hiſt.*

TORDÆ Tranſylvaniæ urbe deprehenſus in adulterio conjux, accuſatus corā Magiſtratu, manu conjugis in foro obtruncatur. Anno ſal. 1552. Paulus Uradienſis ſartor uxorem mœcham deprehenſam, damnatam, mactaturus erat: ſed precibus, & pollicitis illius perſuaſus, incolumem abire permiſit. Non

multò

multò poſt deprehenſus ab uxore Paulus, & in judicium vo- A catus, conſumptis incaſſum obteſtationibus, ab ingratiſſima muliere, ſpectante populo, ſecuri percuſſus eſt. *Aſcanius Centorius l.4. bellorum Tranſylvaniæ.*

Concubinis.

Rex David poſt Abſalonem filium ſuum devictum, eas concubinas ſuas, quas Abſalon ex conſilio Achitophel inceſtu polluerat, in perpetuam cuſtodiam à ſeſe poſuit, unde nunquam poſteà eductæ ſunt. *Lud. Vives de Chriſt. fem. l.2.*

Servis, Ancillis.

Homerus ſapientem Ulyſſem ſcribit, cùm domum rediiſſet, eas occidiſſe ancillas, quæ cum procis concubuerant, quòd hæ non ſolùm probrum domo, ſed periculum quoque pudicitiæ Penelopes attuliſſent. *Lud. Vives de Chriſt. fem. l.2.*

LIBIDINIS PRÆPOSTERÆ POENA.

Nimirum erga PÆDERASTAS.

Auctor Plato eſt, Thebarum Regem Lajum atrociter, id eſt, ignis ſupplicio, in emaſculatores, ac naturæ pervertentes B placita animadvertendum cenſuiſſe. *Cæl. l.15. c.16. A. L.*

C. Fescenninus Triumvir, C. Cornelium fortiſſimæ militiæ ſtipendia emeritum, virtutiſque nomine quater honore Primipili ab Imperatoribus donatum, quòd cum ingenuo adoleſcentulo ſtupri commercium habuiſſet, publicis vinculis oneravit: à quo appellati Tribuni, cùm de ſtupro nihil negaret, ſed ſponſionem ſe facere paratum eſſe diceret, Si non adoleſcens ille palàm, & apertè corpore quæſtum factitaſſet: interceſſionem ſuam interponere noluerunt. Itaque Cornelius in carcere mori coactus eſt. Rectiſſimè placuit, nulla ex cauſa hoc maſculoſum nefas excuſari poſſe: quia quod natura, legibus, & moribus ſit prohibitum, neque dum in volentem committi oporteat. *Val. Max. l.6. c.1.*

Justinianus Magnus Imp. pœnam facinoroſis, & maximè pæderaſtis, exſecando virilia, graviſſimam, & ſine mora irrogavit. Interrogatus, Quare id ſcelus hoc ſupplicii genere vindicaret? Annon, inquit, ſi ſacrilegium commiſiſſent, manus illis amputandæ fuiſſent? *Zonaras Tom. 3. Paul. Diac. lib.16.*

Ejuſdem anno ſecundo, alii multi deprehenſi ſunt maſculorum correptores. Horum aliis veretrum amputari juſſit Im- C perator, aliis calamos acutos in meatus genitalium inſeri, eoſque nudos in forum, quaſi in triumpho produci. Fuerunt & civium, ac ſenatorum multi in eadem culpa: qui caſtrati, & publicè nudi in forum producti miſerabiliter perierunt, ſuoque exemplo reliquos pudicitiam colere docuerunt. *Cedrenus.*

Pompejus Columna Cardinalis Annibalem militem Formianum ignis pœna ſeverè admodum affecit, cùm impotenter, & gravi quidem cum injuria adoleſcentuli pudicitiæ vim intuliſſet. *Jovis in ejus vita.*

PATHICOS, CINÆDOS.

Si quis pudicitiam proſtituiſſet, patriaque bona luxu amiſiſſet, huic legibus Athenienſium interdicebatur jus apud populum concionandi. Nam qui rem ſuam privatam malè adminiſtraverit, fieri non poſſe, ut publicam bene adminiſtret: utque idem privatim ſit improbus, ac publicè optimus. Sed & inhoneſtum eſſe, hunc cum populo agere, qui orationis habendæ prius, quàm degendæ vitæ rationem duxerit. Denique viri boni orationem, quamvis nudam, ac ſimplicem, multum perſuadere, contra hominis improbi, atque luxurioſi, licèt ornatam, contemni, ac negligi. Itaque ab Æſchine Timarchus impudicitiæ, & prodigalitatis accuſatus D eſt, ne deinceps contra leges apud populum concionaretur. Citabat hujus criminis teſtem univerſum populum Athenienſem. Demoſthenes contrà pro Timarcho, in eo orat maximè, ut diceret, pudicitiæ damnum in ea civitate vitio verti non debere, in qua meretricium eſſet vectigal inſtitutum hujuſmodi, ut à Senatu ipſo ſingulis annis locaretur: quare ſi quid in eo genere ſit admiſſum, id magis Publicani eſſe, ut inveſtiget, quàm accuſatoris, ut in judicio reprehendat: aut ſanè ſi nihilominus hoc nomine Timarchum acceſſiri placet, adducendum eſſe redemptorem, qui illud vectigal à Timarcho exegiſſeſe, ac collegiſſe interrogatus reſpondeat. Judices reum condemnarunt, Itaque in exilium abiit. *P. Ærodius, ex Æſchine in Timarchum.*

Q. Fabius Max. Servilianus, honoribus quos ſplendidiſſimè geſſerat, cenſuræ gravitate conſummatis, exegit pœnas à filio dubiæ caſtitatis, & punito pependit, voluntario ſeceſſu conſpectum patriæ vitandæ. *Val. Max. l.6. c.1.*

INCESTUS POENA JUSTA.

Ruben primogenitus cùm Jacob patris lectum inceſtu polluiſſet: ætatis prærogativa ab eo ablata, & Joſeph filiis data fuit. 1. *Paralip.* 5. Benedictionem à patre Jacob moriente nul- E lam tulit, cùm diceret, Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei. Prior in donis, major in imperio. Effuſus es ſicut aqua, non creſcas, quia aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum ejus. *Gen.* 49.

Cyane, Syracuſani Cyanippi filia, cùm in tenebris à patre neſcio violata eſſet per vim, peſtis in facti ultionem urbi à diis immortalibus immiſſa eſt. Verùm cùm deſituram tabem ex oraculo intellexiſſet, ſi patrem virginitatis inſidiatorem mactaret: patrem tractum capillis ad aram mactavit, & ſe quoque, cum qua congreſſus erat, per vim licèt, ſuper eandem aram cum patre necandam injecit. *Ex Doſitheo l.3. rer. Sic. Plut.*

Medullina virgo Romana, in Bacchanalibus ab ebrio patre, obſcuro in loco vim paſſa, ut ſtupri auctorem agnoſceret, digito ejus annulum detraxit. Quem aliquandiù ſervavit, quòd majuſcula facta, ex annuli ſigno patrem injuriæ auctorem cognovit. Itaque tunc denuò deprehenſum ebrium, capite ſertis, ut erat, redimito, ad Jovis fulgurantis aram traxit: atque illic F multis conſperſum lacrymis, tanquam pudicitiæ ſuæ violatorem ſacrificavit. *Ful. l.6. c.1. ex Plut.*

Papyrius Volucer, cùm filiam Camillam, à Romano fratre gravidam eſſe factam inveniſſet: miſſo ad filiam gladio, quo ſe perimeret, filio alterum, ut idem faceret, tradidit. *Idem ibid.*

Tiberius Cæſar equiti Rom. jurisjurandi gratiam fecit, ut uxorem in ſtupro generi compertam dimitteret, quam ſe nunquam repudiaturum antè juraverat. *Sueton.*

Constantinus Max. Imp. filium Criſpum ſpurium, jam virum, ac militari virtute multis experimentis inſignem, à noverca Fauſta accuſatum, tanquam eam ſtupri compellaſſet: ſtatim fide accuſationi habita, Polæ (quæ in Hiſtria eſt) capite mulctari juſſit. Cæterùm poſt aliquod tempus, cùm re detecta cognoviſſet, non à Criſpo novercam compellatam, ſed à noverca Criſpum: & ab ea, non præſtiti aſſenſus dolore, accuſatum, Fauſtam quoque capite mulctavit. *Ibid.*

Quidam in partibus Thuringiæ, Germani ſui uxorem, ipſa neſciente, noctu oppreſſit. Ea de re Rabanus, *Fuldenſis Abbas*, judicat: Quòd ſi mulier queat probare, ſe deluſam, & in- G vitam tale peccatum patraſſe, debeat pœnitentia legitimè peracta, ad mariti ſui thorum redire: mœchum verò jure matrimonii privat, & perpetuæ ſubiicit pœnitentiæ, *in Epiſt. ad Reginarium Coepiſcopum.*

Sigeberto Mediomatricum Rege à ſicariis interfecto, immiſſis à Fredegunde Chilperici uxore, Chilpericus Lutetia potitus, Brunechildem Sigeberti fratris uxorem Rotomagum in exilium miſit: utque Pariſienſis regni urbes ſibi adjungeret, ad eas recipiendas miſit Meroveum filium. Juvenis in novarum rerum ſtatu à patre deſciſcens, Rotomagum profectus Brunechildem ſibi matrimonio jungit. Id connubium juſtum arbitratum, quòd auſpice Prætextato ejus provinciæ Archiepiſcopo propalàm, ac publica gratulatione iniretur. Continuò juvenis celeritate advenientis patris oppreſſus, cum nova nupta in tutelam locorum ſacrorum confugit: nec inde avelli potuit, niſi patre fidem dante, matrimonii per dedecus inceſtumque contracti rationem aliquam inventurum ſe, ut jure, pieque contrahi poſſet: intereà diverſi inter ſe degerent. Ipſe Sueſſiones (quam urbem hoſtes adhuc tenebant) profectus, ſecum filium duxit. Urbe ea recepta oratoribus Auſtraſianis Brunechildem regis ſui matrem repetentibus, reddi Rotomago acceſitam juſſit: conatuſque hoſtium conſiliis clandeſtinis filii H Regi ſuſpicatus, eum totondit, cœnobio Cœnomacorum clauſit: unde juvenis ad ædem D. Martini Turonis transfugit, velut majore ſanctitate templi ſe tecturus. Verum enim verò regio more vivere aſſuetus, tædio tutelæ templi, qui teter ei carcer videbatur, ſuaſu etiam eorum, quos Fredegundis regina noverca (nam ipſe ex Audovera ſuſceptus erat) ſubmiſerat, nimis etiam memor Brunechildis, relinquendi aras conſilium cepit. Cùm in Rhemorum fines jam perveniſſet: certior factus Rex ab iis, qui juveni ſe per fraudem, quaſi ad eum à patre defecturi aggregarant, cum copiis profectus, eum oppreſſit. A quodam Galieno fugæ comite vulgò creditur interemptus, cùm exoraſſet, ut ſe à reliqua patris ſuperbia, novercæque cruciatibus præſenti nece vindicaret. Graviores auctores ſunt, patrem, ut juſſu ſuo interempti filii invidiam à ſe averteret, fabulam illam confinxiſſe. *Æmil. l.2.*

Pius II. Pp. Gallum Armeniaci tyrannum, cum ſorore conſuetudinem ſtupri per ſpeciem conjugii habentem, in judicium tractum mulctavit: conjectis in carcerem, qui falsò decretum

Calixti corruptis tabulis adhibuiſſent, actaque res eſt magna A contentione propter familiæ nobilitatem. *Campa. in ejus vita.*

Nicolaus Eſtenſis, Ferrarienſis Marchio, cùm accepiſſet Hugonem filium ſuum, juvenem, forma virtuteque eximium, parùm pudicè Pariſinæ novercæ, quæ gente Malateſta erat, conſueſcere, ne temerè in tanta re fidem habuiſſe videretur: nova arte operam dedit, ut rem ipſe inſpiceret. Itaque poſteà quam ita certior factus eſt, ut jam non falli ſe credendo ſciret, abjecto viri, patriſque affectu, conjectos in vincula ambos, capite cum omnibus conſciis mulctavit. *Fulg. l.6. c.1.*

Joann. Malatesta Franciſcam Polentam uxorem in complexu Pauli Malateſtæ fratris ſui deprehenſam gladio unà cum adultero transfixit. *Ibid.*

Anno 1513. Foſſæ Clodiæ civis, qui tres filias virgines vitiaverat, à Prætore concrematus, dignam commiſſi pœnam perſolvit. *Bembus lib.12. Hiſt. Ven.*

Petrus Balbus Patavii magiſtratus à Senatu Ven. lectus an. 1510. antequam Patavio decederet, hominem ex plebe, qui filia pro concubina utebatur, ipſamque filiam, ſcelere per indicium delato, comprehendi juſſit, faſſoſque ſecuri ambos percuſſit, igne patris cadaveri etiam ſup- B poſito. *Idem lib.9.*

LUXUS CORRECTIO JUSTA.

Cujus, Qualis Luxus, ſcilicet in Fuco Corporis.

Ex Antipatri amicis quendam Philippus Macedoniæ Rex in judicum numerum adſcripſerat. Verùm poſt ubi cognovit, illum tingere barbam, & capillum, ſubmovit eum, dicens: Qui in capillis fidus non eſſet, eum muneribus gerendis non videri dignum, cui fideretur. Fuco utebatur in tingendis capillis, ubi non multum erat lucri: multò magis uſurus erat fuco in publicis negotiis, ubi dolus interdum ingens affert emolumentum. *Plut. in Regum, & Imperatorum Apoph.*

Balneis.

Philippus Macedo in exercitu nobilem quendam Tarentinum, quòd calidis balneis fuiſſet uſus, Imperatorio munere, ac dignitate privavit, inquiens: Neſcire mihi videris Macedonum conſuetudinem, ac mores, apud quos ne mulierem quidem puerperam aqua calida lavari videas. *Polyæn. lib.4.*

C

Unguentis.

Vespasianus Imperator factus, ne quam occaſionem corrigendi diſciplinam prætermitteret, adoleſcentulum fragrantem unguento, cùm ſibi pro impetrata præfectura gratias ageret, nutu aſpernatur: voce etiam graviſſima increpuit: Maluiſſem allium oboluiſſes, literaſque revocavit. *Suetonius.*

Coronis.

Antiquæ parſimoniæ, ac continentiæ apud Romanos veteres, hoc etiam grave, & nobile eſt exemplum. Cùm ſuperbius, atque luxurioſius eſſe videretur, paſſim, & publicè coronis uti etiam ludicris: quæ virtutis eximiæ cauſa duntaxat, ab initio civibus à Republica concedebantur, magiſque ut poſt mortem in ſtatuis, aut imaginibus ſuis, & ad pompam exequiarum, quàm ut vivi (quod perpetuò accidit) ad invidiam uterentur: Lucius Fulvius argentarius bello Punico ſecundo, cùm interdiù è pergula ſua cum corona roſacea in forum proſpexiſſe diceretur: ex auctoritate Senatus in carcerem adductus, non ante quam bella finirentur, emiſſus eſt. *P. Ærod. ex Plin. Secundi l.21. c.3.*

Pub. Munatius, cùm demptam Marſiæ coronam è flori- D bus capiti ſuo impoſuiſſet, atque ob id duci in vincula Triumviri juſſiſſent, Tribunos plebis appellavit, tamen non interceſſere. *Ibidem.*

Vestitu.

Agesilaus Rex, cùm in bello Peloponneſiaco quoſdã Aſiaticos in veſte munda, & nitida, corpore verò deſides videret, & ignavos: ea affecit ignominia, ut veſtibus nudatos per caſtra incedere cogeret: illorumque amicula fortibus viris, quorum in bello virtus enituit, dono daret. *Alex. ab Alex. l.2. c.13.*

Armis.

Lacones ſcutiferum militem interemere, quòd ſcuto non nihil purpurei panni intexuiſſet. Intantum horrebant exemplum peregrinæ luxuriæ: non ignari, ex minimis initiis immedicabilem vitiorum colluviem inundare: eoque tutiſſimum eſſe judicantes, principiis obſtare. Ob id in primos auctores ſeveriſſimè animadvertebant. Plurimum nocuit Reipublicæ, quiſquis feneſtram vitiis aperuit. *Plut. in Laconicis.*

Supellectile.

P. Corn. Ruffinus, qui II. Conſul, & dictator fuit, Senatu motus eſt à C. Fabricio Lucino, & Q. Æmilio Pappo Cenſoribus, quòd argenti facti cœnæ gratia decem pondo haberet. E *Gel. lib.17. c.21. Val. lib.8. c.21.*

Pompejus Paulinus, Arelatenſis equitis Rom. filius, paterna quoque gente pulſus, quod XII. pondo argenti habuiſſet apud exercitum, ferociſſimis gentibus oppoſitus eſt. *Plin. 33. c.11.*

Ædificiis.

M. Æmilium Porcinam à L. Caſſio accuſatum, crimine nimis ſublimis extructæ villæ in Allienſi agro, gravi mulcta populus Rom. affecit. Videlicet his antiquæ probitatis, ac frugalitatis hominibus placebat, unumquemque non ſolùm publicè ſed etiam privatim, continentem, frugi, parcum: ac non modò civem bonum, ſed & patremfamilias optimum eſſe oportere. Ex privata luxuria, abundantia, atque nimio ſplendore, æſtimari, quæ publica eſſet cujuſque de cæterorum civium vita, bonis, ac fortunis adminiſtratio: quia vita nimiùm ſplendida, & copioſa, numquam à bonis alienis abſtinet, ſed & perpetuò tyrannicum aliquid præ ſe gerit. Etenim in ea civitate maximè, quæ populi ſuffragiis, aut paucorum arbitrio regitur, alium alio cive, fortunis, & opibus magis quàm virtute antecellere, nunquam ſuſpicione caruiſſe: ideòque F Valerio Publicolæ domum in Palatio conſtructam, crimen affectatæ tyrannidis attuliſſe: & apud Græcos populos, exilium id, quod Oſtraciſmum appellabant, idcirco inſtitutum. Denique Reip. intereſſe, neminem re ſua malè uti, non ad ſuperbiam, & prodigalitatem. Itaque Rutilium rufum, modum ædificiis attuliſſe: Lycurgum Lacedæmonem, ut tecta domus, non alio inſtrumento quàm ſecuri: tabulata, quàm dentato perficerentur. Hinc & leges Oppias, ſumptuarias, veſtiarias, de minuendis dotibus, de ſumptibus funerum, aliaque innumera hujuſmodi, quæ hominum libido potentiorum, atque primariorum exemplum in omnibus Rep. ſemper abrogavit. Verùm ut ad illud Populi Rom. judicium revertamur, huic ſimilis fuit Fabricii Lucini nota cenſoria. Nam ideò Senatu movit Cornel. Rufinum, jam duobus Conſularibus, & Dictatura ſpecioſiſſimè functum, quòd decem pondo vaſa argentea comparaſſet. Similis item M. Antonini, & Lucii, & Flacci nota cenſoria adversùs Duronium, quòd legem latam de coercendis conviviorum ſumptibus, Tribunus plebis abrogaſſet. Quidam etiam inter eos die dicta relatus, & damnatus eſt à Populo Romano, quòd pueruli, & concubini ſui nimis amore correptus rogatus ab eo ruri, ut omaſum in cœnam ferri præciperet, cùm bubulæ carnis in propinquo G emendæ nulla facultas eſſet, domito bove occiſo, deſiderium ejus impleviſſet: itaque in exilium actus eſt, tanquam colono ſuo interempto. *P. Ærod. ex Val. Max. l.8. c.1. Suet. in Auguſto, Plut. in Sylla Plinio Sec. l.8. c.45.*

Triumpho.

In libera civitate nihil unquam committendum eſt, quod præter morem majorum eſſe videatur: minimèque ſunt præ aliis omnibus captandi honores inſoluti, ac præter modum, quia cæca hæc gloriæ cupiditas, aliquid de ſe, pluſquam de cive ſentientis, conjecturæ, atque ſuſpicionis habet, quod in Furio Camillo eſt animadverſum. Is non tam adeò quòd prædam Veris domitis iniquè diviſiſſe videretur, quam quòd albis equis præter morem in triumpho uſus eſſet: à L. Aquilejo Tribuno plebis accuſatus, Populi ſuffragiis in exilium actus eſt. Ardeam conceſſit. Verùm aliquid tantis in Remp. Furii Camilli beneficiis concedi poterat. Itaque Populus Rom. hac damnatione cùm nimiùm jura tuetur, ingrati crimen non evitavit. *P. Ærod. ex Val. Max. l.5. c.11. Dione Nicæo,* H *l.62. Plin. de Vir. illuſt.*

QUORUM.

☞ *Eadem exempla, quæ jam attulimus, diverſo tantùm reſpectu conſiderata.*

AVARITIÆ POENA JUSTA.

EN ΚΤΗΣΕΙ.

☞ *De fœnore, de furto, rapina, raptu. Conſule Titulos proprios. Hìc avaritiæ in genere ratio habetur: illic verò Perfidiæ in contractibus non voluntariis.*

Principum, Magistratuum.

Leutychides Rex Spartanorum, in expeditione Pharſalica muneribus corruptus, è Sparta ejectus fuit, & domus illius excisa. *Herod. l.6.*

Ex majoribus L. Syllæ Rufinus ad Conſulatum pervenit, Convictus poſteà ſupra decem argenti cælati libras contra legem poſſidere, ſenatu motus eſt à Cenſoribus. *Plut. in Sylla.*

Dolabellæ duo eodem tempore extiterunt, præter illum, in quem ſunt Ciceronis orationes. Horum alterum Cæſar repe-

tundarum accuſavit, nec damnavit: alterum M. Scaurus ac- A cuſavit, & damnavit. *Pedianus*.

Lege cautum erat, ne quis Proconſul, aut Præſes extra Provinciæ fines proficiſceretur: deinde, ne quod ſuo arbitrio bellum ſuſciperet. Cùm itaque populus Roman. conſultis libris Sibyllinis prohibuiſſet, ne Ptolemæus Rex Ægypti reduceretur, attamen Gabinius pecuniæ cupiditate, Syria provincia relicta, prædonumque injuriis expoſita, cui tum præerat, Ptolemæum in regnum ſuum reſtituit. Qua de re deferentibus Syriis à Cicerone ad populum accuſatus eſt. Contemptam religionem eſſe: ſpretam Pop. Romani auctoritatem. Sed cùm tantis pecuniis, ac ſordibus damnationem evitaſſet, ut Populus in judices facti ignominia irruere conatus ſit: de repetundis lege repetitus, licèt tum Cicerone defendente, quòd ex Provincia quater millies ſeſtertium, eoque ampliùs compilaſſet, exilio mulctatus eſt. *P. Ærod. ex Dion. Nicæo, l.39. & Appiano, in Syriaco*.

Marius Priſcus, accuſantibus Afris lege Julia repetundarum, quibus pro Conſule præfuit, cùm pecunias cepiſſe ſe negare non poſſet: omiſſâ defenſione, utendo clementia legis, Judices petiit, qui pecuniam, ſive litem æſtimarent, quæ iis red- B denda ad quos pertineret, de ſuis bonis exigeretur. C. Plin. & Cornelius Tacitus à Senatu adeſſe Provincialibus juſſi, dixerunt Priſcum immanitate, & ſævitia legis ſeveritatem exceſſiſſe, ut ejus criminibus dari Judices poſſint, quorum ſit lege, & formula concluſa cognitio (non erat enim pœnæ perſecutio in arbitrio judicantis, ſed legis auctoritati reſervabatur) cùm ob innocentes condemnandos, atque etiam interficiendos, pecunias reus accepiſſe diceretur. Verùm quia nondum aderant, à quibus ob hominem necandum pecuniam reus accepiſſe dicebatur, placuit, Mario quidem interim ex antiqua formula Judices dari: cæterùm evocandos, quibus argueretur innocentium pœnas vendidiſſe. Venerunt, qui adeſſe juſſi erant, Vitellius Honoratus, & Flavius Martianus: ex quibus Honoratus, trecentis millibus exilium equitis Romani, ſeptemque amicorum ejus ultimam pœnam: Martianus, unius equitis Romani ſeptingentis millibus plura ſupplicia emiſſe accuſabatur: erat enim fuſtibus cæſus, damnatus in metallum, ſtrangulatus in carcere. Honoratum cognitioni Senatus mors ſubtraxit. Martianum in Senatum induci placuit, & Mario qui- C dem præſente, quòd æquiſſimum videretur, commune crimen ab utroque defendi: & ſi dilui non poſſet, in utroque puniri. Re à pluribus patronis coram Cæſare acta, & ſæpiùs dilata ac rejecta in proximum, alium, & item alium Senatum, viſum eſt, non jam Marium repetundarum pœnæ relinquendum: itaque cenſuit Senatus ſeptingenta millia, quæ acceperat Marius, ærario inferenda Mario urbe, Italiaque interdicendum: Martiano, hoc ampliùs, Africa, Hoſtilius etiam Firminus legatus Marii priſci Proconſulis, quòd ei ad turpiſſima miniſteria operam ſuam accommodaſſet, ſtipulatuſque de Martiano quinquaginta millia denariorum probatus eſt, ac ipſe præterea ſeſtertia decem millia accepiſſe: placuit in ſortitione Provinciæ, ne ratio ejus haberetur. Denique (quod perlaudabile fuit inſtitutum) Senatuſconſulto adjectum eſt, arbitrari Senatum, Plinium, & Tacitum injuncta advocatione diligenter, fortiterque functos eſſe: ideòque placere erga patronos laudatione, & commendatione uti. *P. Ærod. ex Plin. Nep. lib.2. Epiſt.*

Quidam præfectus Provinciæ, contrà quam mandatis continetur, ne donum, vel munus ipſe, aliuſve, qui in officio erit, D accipiat ematve quid, niſi victus quotidiani cauſa: à Provincialibus munera acceperat. Is eo nomine apud Claudium Imperatorem accuſatus, exilio mulctatus eſt, ampliùs etiam bona omnia, quæ is Præfecturæ tempore acquiſiviſſet, in publicum redacta ſunt. Et quod anteà conſtitutum erat, ne ulli ſtatim unum poſt alterum imperium mandaretur, Claudius edicto renovavit: ideò certè, ne delicta poteſtatibus, imperiiſque, aut profectionibus continuis impunita remanerent. *Dion. lib.60.*

Julius Baſſus accuſante Pomponio Rufo, & Theophane, cauſam dixit in Senatu, quod in Bithynia Quæſtor à Provincialibus, licèt ab amicis, quædam accepiſſet. Accuſatores hæc furta, ac rapinas, ipſe munera vocabat. Sed lex munera quoque accipi vetat: itaque præcluſa reo illiuſque advocatis C. Plinio ac L. Albino defenſio videbatur, quia Baſſus multis non celaſſet, neque ipſi adeò Principi Tiberio, ſe munuſcula à natali ſuo & Saturnalibus accepiſſe, ac viciſſim plerique miſiſſe. Cauſa tamen per quatuor dies acta eſt, quorum ultimum probationes occuparunt. Cenſuit Bæbius Macer, & Conſul deſignatus, lege repetundarum Baſſum teneri: ita enim lege & munera comprehendi. Cæpio Hiſpo, ſalva dignitate judices dandos, putabat enim liceret Senatui, ſicut licet, & mitigare leges, & inten- E dere: quare non ſine ratione veniam dari tunc oportere facto vetito quidem, non tamen inuſitato: & quia reus ut imprudens, & incautus, ita minimè malus videretur. Prævaluit ſententia Cæpionis. *P. Ærodius ex lib.3. Epiſt. Plinii.*

Cæcilius Claſſicus in Bœtica Proconſulatum non minus violenter, quàm ſordidè geſſerat. Is à Provincialibus ſic accuſatus eſt, ut verè in eum tota Provincia incumbere videretur. Sed ſive fortuita, ſive voluntaria morte accuſationem antevertit. Nihilominus, ut erat proviſum quidem anteà legibus intermiſſum tamen, & poſt longam intercapedinem tunc reductum, Bœtica in defuncti accuſatione perſeveravit, ſocios, miniſtroſque detulit, & nominatim in eos inquiſitionem poſtulavit. C. Plinius, & L. Albinus, qui Bœticis aderant, claſſicum priùs peregerunt: quia ſocii, miniſtrique probari, niſi illo nocente, non poterant. Is ſua manu ſcriptum reliquerat, quid ex quaque re, quid ex quacumque cauſa accepiſſet. Quare commiſſi adversùs legem Juliam repetundarum facilis probatio, & executio fuit. Circa ſocios miniſtroſque, Fabium Hiſpanum, Bæbium Probum, & Stillonium Priſcum Provinciales, elaboratum eſt, quia dicebatur, miniſterium non eſſe crimen, F aut certè neceſſitati veniam dari oportere. Eos enim eſſe Provinciales, & ad omne Proconſulum imperium metu cogi. Sed cùm nec Domini poteſtas, nec patris auctoritas à gravioribus delictis ſervum, filiumque familias excuſet: placuit Senatui, bona Claſſici, quæ habuiſſet ante Provinciam, à reliquis ſeparari: illa filiæ, hæc ſpoliatis relinqui: additumque eſt, ut pecuniæ, quas in Proconſulatu creditoribus ſolverat, revocarentur. Non enim eandem rationem eſſe in Præſide, quàm in tutore: quia privatis neque induſtria, neque augmentum patrimonii, quod laboribus, & multis caſibus acquiritur, interdictum eſt: Præſidibus omnis ferè contractus in Provincia prohibetur. Hiſpanum, & Probum (adeò grave viſum eſt, quòd dubitabatur, an omnino crimen eſſet) in quinquennium relegari placuit: Priſco in biennium Italia interdici. Cæterùm advocatorum induſtriam, fidem, conſtantiam à Senatu comprobari. *P. Ærod. ex Plin. lib.3. Epiſt.*

Theophilus Imp. onerariam navem, quæ ex Syria Auguſtæ Theodoræ neſcio quas merces advexerat, mergi juſſit, non ſine injuria, & jactura reginæ: quòd regibus non liceret, victum G quæſtumque plebeiis præcipere. *Cuſp. A. D.*

Ludovicus Germaniæ Rex, captatores munerum, avaritiave notatos, ambitus, aut repetundarum condemnatos, ſive ob aliud quodvis crimen, ſemel magiſtratu abdicatos, nunquam poſthac reſtituit: ratus vulpem pilos, nunquam animum mutare: & magis illos periculi quàm beneficii memores, nunquam fidos fore. *Avent. A. D. l.4. Annal. Bojorum.*

Judicum.

Alexander Severus Imp. ſi unquam furem vidiſſet judicem, paratum habebat digitum, ut illi oculum erueret. *Lamp.*

Civium.

Apud Ægyptios ex Amaſis Regis præſcripto, ſi quis injuſto quæſtu viveret, incidebat in mortis pœnam: ideòque cogebantur omnes apud eoſdem ſcripta ſua nomina ad præſides regionum, & ſimul quo exercitio viverent, deferre. Quæ lex à Solone ad Athenienſes quoque poſteà traducta eſt. *Diod. Sic. l.2. c.2. de Rebus antiquis.*

Ædilium apud Rom. munus erat, ut eos qui plus quàm lege definitum erat, agri poſſiderent, accuſarent, & fœneratores H omnes coercerent. *Alex. ab Alex. l.4. c.4.*

Ducum.

Perſis Alexander Magnus Polymachum præfecerat ſummo loco natum, atque inter ſuos facilè Principem. Verùm cùm eò impietatis, & avaritiæ prorupiſſet, ut nedum à viventium bonis, ſed à Cyri Perſarum Regis ſepulchro violando, fodiendo, ſpoliandoque non abſtinuiſſe diceretur: ob id accuſatus coram Alexandro, luit capite ſepulchri violati crimen. Sed nos, qui Chriſtiani volumus appellari, & quibus ideò jura ſepulchrorum ſanctiora, & religioſiora ſunt, quia corporum ut animorum reſurrectionem fide amplectimur, quot Polymachos habuimus? Habuiſſe turpe ſit, ſed habere adhuc, quod monſtrum, quodve piaculum eſt? *P. Ærod. ex Plut. in Alexand.*

Timotheus, Dux Athenienſium illuſtriſſimus, à Chiis, & Rhodiis pecuniam acceperat. Id cùm fateretur, nihil ei profuit ad liberationem, Lacedæmonios ad Corcyram navali prælio ſuperaſſe: nec quòd filius Cononis eſſet, à quo Græciæ libertas reſtituta eſſet Samus, Methone, Pydna, Potidæa, aliæq; viginti

urbes ceptæ: centum talentis ab Athenienſi populo mulctatus A eſt. *Erod. ex Dinarcho cont. Demoſt.*

Siciliam Tyrrhenis infeſtantibus, Syracuſii ſibi Præfectum claſſis Phaylum elegerant, quem navibus inſtructis in Tyrrheniam navigare præceperant. Hic cùm primò adventu inſulam aliquam depopulatus eſſet, continuòque magna pecunia à Tyrrhenis accepta in Siciliam rediiſſet, nulla alia re hac tota expeditione egregiè geſta: proditionis accuſatum, Senatus, Populuſq; Syracuſanus in exilium abire voluit, & juſſit. *Diodor. Sic. lib. 11.*

L. Poſthumius, vir conſularis à Rom. damnatus eſt, quòd cùm exercitui præeſſet, militum opera in ſuo agro colendo fuerat uſus. *Sab. lib.8. En. 4.*

Mithridates Ponti Rex, cùm Marcum (ſive Manium) Attilium, Romanum Legatum, cujus avaritia bellum in Mithridatem populus Romanus moviſſe putabatur, aſtu cepiſſet: inaurato ore, ut ejus avaritia detegeretur, per regnum, averſum aſino inſidentem, duci juſſit. *Fulg. lib.9. c. 10.*

Pescennius Niger, cùm Galliam regeret, imperante Septi- B mio Severo, Tribunum lapidari juſſit, quia militum ſtipendia decimarat. *Fulg. l. 6. c. 3.*

Belisarii Milites, qui Romanam urbem eo imperante obſidebant adversùs Gothos, relictum Cononem Præfectum ab eodem (qui in Siciliam neceſſitate cogente profectus erat) interemerunt: quia ſtipendia interciperet, & frumenta coemeret, quæ quotidie aucto pretio illis venderet. Quod cùm ſæpiùs faceret, re ab his explorata, jure quodam ſuo avaritiam nimis gravem in præfecto ulti ſunt, ejus acerbiore fato. *Fulg. l.9. c.10.*

Sub Conſtantino Porphyrogenito Imp. Crentia Chaldiæ in Calabria. Præfectus Saracenos Africanos, ac Sicilienſes, quibus ob penuriam, & bellum à Cyrenenſibus Saracenis illatum extrema imminebant, avaritia ductus ſublevavit, & ſubditos non leviter vexavit. Nam vili pretio coemens, quæ ad vitam ſuſtinendam erant neceſſaria, magno ea Saracenis vendidit: qui quòd auro abundabant, & fame, belloque premerentur, libenter pretium quodvis perſolvebant. Verùm hic Crenitæ à Conſtantino imperium abrogatum, & pecunia adempta eſt, & cùm dedecore conſenuit, atque obiit. *Cedrenus.*

C Zeliobes Rex Hunnorum, veniens cum xx. millibus, ut ferret auxilium Chaudi Perſarum Regi, contra Romanos, ab eodem occiſus eſt penè cum toto exercitu, quòd utrimque munera accepiſſet, & à Chaude contra Romanos, & à Romanis contra ipſum. *Sigeb. in Chron.*

Pipus Florentinus cum decem millibus equitibus ex Pannonia in Forum Julii erupit, Utinumque in poteſtatem redegit. Triſtanus, qui ſummam rei ad Venetos ſemper traxerat, ſub primam deditionis mentionem ad Venetos transfugi, cum magna clientum, & amicorum manu. Pipus cum præclara belli facinora edidiſſet, corruptus (ut ajunt) auro, infeſtare Pannoniam abiit. Non multò poſt Sigiſmundus Imperator, à quo miſſus fuerat, ratus, quod erat, cupiditate auri provinciam demandatam non obiviſſe, cum liquefacto auro, atque in fauces conjecto peremit: illud interim ſæpiùs dictitans: Aurum, Tuſce, ſitiſti, aurum bibe. *Sab. lib.5. de vetuſt. Aquil. & Bonfinius lib. 3. Dec. 3.*

Liscanus Hiſpanus, cùm gravi obſidione Solymannus Strigonium urgeret, auro ſuo metuens, deditionis maturandæ auctor fuit. At opinione ſua homo tam perfidus, quàm D avarus fruſtratus, Haly Turcorum duci aureum torquem, quo tam avarè, quàm inſolenter Perenum Hungarum, quem juſſu Ferdinandi comprehendere juſſus, ſpoliarat, dono dare cogitur, cùm illum Halys, alioqui per vim erepturus, militari comitate, tanquam novum apud Turcas cervicis ornamentum, expetiſſet. Eo munere Hiſpanus reliquæ ſuæ prædæ periculum redimi poſſe cogitabat, ſed avaro, imbellique fortuna nihil indulſit. Nam cùm inſignes equos aleret, ut his arce excedens in pacatum eveheretur, ſignatumque aurum in ephippiis ſubter pulvinos accuratè condidiſſet: ei poſtremò Barbarus, equos jam ephippiatos, conditumque ſimul intus aurum ridendo ademit, quòd navigaturo nihil equis opus eſſe diceret. Ubi Poſonium venit cum Salamanca proditionis reus factus, in carcerem conjectus eſt. *Sab. ſuppl. lib.26. ex Jovio.*

Militum.

Judas Machabæus, devicto Gorgia, hoſtes in duobus caſtellis obſedit, & ad ea expugnanda relicto Simone fratre, ipſe cum parte exercitus abiit. At Simoniani avaritia ducti, acceptis 70. drachmarum millibus, nonnullos hoſtium dimiſerunt. Ea re Machabæus cognita, proditores interfecit, & caſtellis expugnatis, ad xx. millia hoſtium occidit. 2. *Mach.* 10. E

Epaminondas Thebanus ſcutatum militem ſenſerat à captivo quodam magnam pecuniarum vim accepiſſe. Huic Epaminondas: Mihi, inquit, redde clypeum: tibi verò cauponam emito, in qua vitam degas. Poſthac enim nolles eodem modo ſubire periculum, quippe jam unus de numero divitum, ac beatorum. Rectè judicavit, timidum (ut eſt in proverbiis) eſſe Plutum. Magis enim metuit mortem, qui domi habet, unde poſſit ſuaviter vivere. *Plut. in Græcorum Apoph.*

Galba Africæ Proconſul, militi, qui per expeditionem annona arctiſſima reſiduum cibariorum tritici modium centum denariis vendidiſſe arguebatur, vetuit, ſimulatque indigere cibo cœpiſſet, à quoquam opem ferri, & is fame extabuit. *Sueton.*

Boemi ad tutandos inferioris Hungariæ fines contra Turcarum irruptiones, conſcripti à Paulo Kiniſio præfecto, Sigidunum opulentum oppidum in æſtiva dimiſſi ſunt. Ubi cum nec fortunis, nec pudori, nec vitæ provincialium parcerent: fama eſt, matronam quandam nudato corpore, ſed pudendis ma- F nipulo herbæ contectis, lacrymarum plenam ad Pauli pedes provolutam, inſignem in ſe Boemorum militum injuriam expoſuiſſe, per quos omnibus fortunis everſa, etiam propriis veſtibus ad velanda corporis pudenda diſpoliata fuiſſet. Neque ita multò poſt pagi cujuſdam Sacerdotem mœſtum acceſſiſſe, de audacia, petulantiaque cujuſdam militis acerrimè conquerentem, qui loculum argenteum, in quo ſacrum corpus eſſet incluſum, è Templo abripuiſſet, ipſum corpus in terram abjeciſſet. Paulus juſtis querelis auditis, libenter meritum de ſontibus ſupplicium ſumpſiſſet, ſed infeſtæ Turcarum excurſiones impediebant. Poſt autem cùm literas, quas aſſiduis agricolarum querelis fatigatus ad eos ſuper ea re miſerat, manibus ab iis diſcerptas, & pedibus in ſui contumeliam conculcatas audiviſſet: eos agreſtium, quæ falcibus equorum poplites ſuccideret, turba circumventos trucidavit, reliquos imperata facere coegit. *Bonfinius lib.3. Dec.5.*

Sacerdotum.

Massilienses vates, & Flamines, qui quæſtus cauſa ſacra circumferebant, ſuis oppidis exegere, ne religionis prætextu otium ſectarentur, & luxum. G

Galeacius Sfortia, Dux Mediolanenſis, cùm plebejæ viduæ lamenta audiviſſet, defuncti mariti cadaver jam per triduum domi aſſervantis, quòd ſepulchri redimendi facultatem, egeſtatis cauſa, non haberet: præſens ſtatim locum redimi, terram egeri, avaris Ædituis cadaver inici, unaque contumulari voluit, curavit, imperavit. *Auguſtinus Gallus com. de Agricultura, Dialog. 19.*

Legatorum.

Timagoram, qui legatus fuerat ad Artaxerxem contra Thebanos, populus Athenienſis damnavit, necavitque. Neque enim aurum modò, & argentum acceperat, verùm etiam pretioſum lectum, & ſervos Strotas, id eſt, ut Plautus vocat, lectiſterniatores, tanquam rudibus ad iſta Græcis: inſuper xxc. vaccas cum bubulcis, tanquam lacte bubulo ad valetudinem opus haberet: denique fuit lectica ad mare delatus, ac quatuor talenta lecticariis mercedis præbita à Rege. Atqui non videntur ob ſordes illa præcipuè exarſiſſe in eum Athenienſes: quando Epicrate lixa olim, nec diſſimulante dona ſe à Rege accepiſſe, & profitente rogationem ſe laturum, ut novem archontum loco, novem quotannis legatos ad Regem ex H popularibus, & tenuioribus deſignarent, quò muneribus auctiores forent, arriſit populus. Cæterùm quòd à Rege omnia tributa Thebanis fuiſſent, id eos momordit: non reputantes Pelopidæ Thebani legati gloria, quàm multis ſplendidis dictionibus, & orationibus apud Regem, qui ſemper coleret bellica laude præſtantes, præcellerent. *Plut. in Pelopida.*

Victorinus cùm Germaniæ præeſſet, conatus eſt domi, ſemotis arbitris, legato ſuo perſuadere, ne ſe pecunia corrumpi ſineret. Cùmque ille non impetraret, ad tribunal venit, jurat ſe nunquam illa munera accepiſſe, neque quamdiù viveret, accepturum: mox item præcipit legato, ut ſimili ſacramento ſe obſtringeret. Conditionem recuſavit. Eum itaque officio juſſit abdicari, *Xiphilinus in Commodo.*

Oratorum, Rhetorum.

Harpalus homo luxurioſus, ob conſcientiam ſcelerũ, ideòque metu Regis Alexandri ex Aſia cum ingenti pecunia ſupplex Athenas aufugerat, paratus ſe ſuaque populo Athenienſi dedere. At cùm Orator Demoſthenes primùm in concione,

vitandi belli cauſa, ne reciperetur, populo ſuaſiſſet: poſteà verò calice, ac XX. talentis ab Harpalo delinitus, juſſus ad populum iterùm ſententiam ſuam dicere, anginam, & ſaucium dolorem ſimulaſſet: immò dictus eſt, pati argentanginam. Itaque hujus pecuniæ nomine à Stratocle inſimulatus, ipſo Demoſthene auctore, neque conditionem recuſante, ut quos Senatus deliquiſſe demonſtraſſet, ii punirentur: populus Senatum Areopagiticum de pecuniis, quas Harpalus in urbem advexiſſet, juſſit inquirere. Nam Harpalum eiici placuerat, & de pecuniis quæri: ut ſi ab Athenienſibus earum Alexander rationem poſceret, eam redderent. Senatus re inquiſita, retulit inprimis, eſſe apud Demoſthenem argenti viginti talenta. Igitur populo placuit, judicium agi, accuſandique partes tribui Dinarcho. Itaque populus reum quinquaginta talentis mulctavit, atque in carcerem duci juſſit. Sed hinc elapſus, in exilium abiit. *P. Erod. ex Dinarcho, cont. Demoſth. Plutarch. in vita Demoſth. Athen. l. 6. cap. 5. Juſtino lib.* 13.

Alphonsus, Aragonum Rex, cùm accepiſſet Gallum Medicum, acutiſſimi quidem, ſed avariſſimi ingenii ſophiſtam, relicta medicina ad cauſas agendas ſeſe convertiſſe, forumque omne ſophiſmatibus involvere, illum foro prohibuit: decreto edicto, ut omnis lis, quam Gallus patronus ſuſciperet, ipſo jure haberetur iniqua, & injuſta. *Panorm. lib.* 4.

Aulicorum.

Alexander Severus Imp. Vetronium Thurinum familiarem, quòd his, qui petebant aliquid à Cæſare, vendidiſſet ſuum patrocinium, mentiens interim multa, vinciendum curavit: & convictum, damnatumque in ſtipite alligari juſſit, ſuppoſito igni ex humida materia, præcone clamante: Fumo punitur, qui fumos vendidit. Idem in ipſa via, qua ejus ſervi à Palatio in villam migrare ſolebant, unum ex ipſis cruce juſſit affigi, quia centum aureos nummos, propter navatam cuidam in aula ſua operam, acceperat. *Fulg. l. 6. c. 3. ex Lamprid.*

Publicanorum.

Bello Punico ſecundo, Poſthumius Pirgenſis publicanus multi nominis, fraude, & avaritia inſigni, quia Rempub. in iis fraudaſſe dicebatur, quę in Hiſpaniam ad exercitum mittebantur, navibus viliſſima mercede onuſtis, atque de induſtria, quia vi tempeſtatis ei cautum erat, in alto depreſſis, cùm à Trib. pleb. accerſitus, magnaque publicanorum manu cinctus, concilium plebis diſturbaſſet: majeſtatis reus, quoniam ad diem non affuit, abſens damnatus eſt. Ejus bona publicata, ipſi aqua, & igni interdictum. Plerique etiam jus ordinis, qui novi motus auctores fuerant, aut in carcerem conjecti ſunt, aut ſolum voluntario exilio verterunt. *Sabell. lib. Enn.* 5.

Maritorum.

Apud Spartanos ii, qui dotis, & rei quærendæ cauſa locupletum affinitates quærerent, pœna graviſſima mulctabantur. *Alex. ab Alex. l. 4. c. 8. ex Æliani l. 6. de Var. hiſt.*

Amasiorum.

Gallatarum Rex Brennus, cùm depopularetur Aſiam, Epheſum cum exercitu venit, ac in Epheſiæ Puellæ amatorios incidit laqueos. Ea verò congreſſuram ſe pollicita eſt, inſuper & Epheſum prodituram, ſi pſellia (ea ſunt manuum ornamenta) ſibi, & mundus contribueretur muliebris. Adnuit Barbarus, militibus imperavit, ut in eam coniicerent, quod haberent aurum. Eo avara puella obruta periit, ſicuti prodidit. *Rerum Galatic. primo Clitophon. Cælius l. 8. c. 13. A. L.*

Aleatorum.

Turci luſores pecuniæ cauſa, quocumque genere ludi, ignominia afficiunt, ac deinceps graviori ſupplicio puniunt. *Cuſp. A. D.*

EN ΧΡΗΣΕΙ. PUNIRE EOS, QUI NON DISTRIBUUNT.

Apud Athenienſes quæſturam cùm gereret Perjander, graviſſimam contraxit offenſam, quòd parciùs frumentum populo impartiret: proptereàque accuſatus, & à Plebe pro concione lapidibus obrutus eſt. *Alex. lib. 2. c. 2.*

Non Credunt, Mutuum Denegant.

Croesus Lydorum Rex, Halyattis F. cùm ei à patre denunciaretur, ut copias ſuas Sardeis adduceret, idque ille præ luxu facere non poſſet: crimen illud diluere volens, Halyatten mercatorem Lydorum ditiſſimum adit, pro pecunia ſolicitat. Is verò primùm ante fores eum exſpectare jubet, dum laviſſet. Deinde reſpondet, multos eſſe liberos Halyatti, quibus pecunia ſi danda eſſet, non ſuffecturam. Se igitur petenti illi nihil dare. Crœſus hoc audito Epheſum faciendæ pecuniæ cauſam veniens, votum Dianæ fecit, ſe regem factum, ei totam demum mercatoris illius conſecraturum. Id quod etiam poſt præſtitit. *Suidas.*

Non donant.

Cùm Tigranem Armeniæ Regem Cn. Pompejus deviciſſet, & is ab eodem Pompejo in regnis, quæ ante poſſidebat, reſtitutus, in Romana caſtra ad ſalutandum Pompejum veniſſet, majore, natu filio eum proſequente: à toto exercitu amanter exceptus, & à Pompejo cœnæ honore dignatus, poſt epulas Pompejo, totique exercitui ingentia munera contulit. Cùm poſteà filius quoque invitatus eſſet: reſpondente eo, tanti ſe cœnam emere nolle: indignatus Pompejus, cuſtodiri eum juſſit, ac Romam in triumphum duxit. Patre ob liberalitatem in regnis relicto, avarum filium cum regno libertate quoque privavit. *Fulgoſ. l. 9. c. 4.*

Non Satisfaciunt.

Anno 4. Michaelis Paphlagonis Imp. fame laboratum eſt per Traciam, Macedoniam, Strymonem, Theſſalonicam, & uſque Theſſaliam. Conquerentibus autem Theſſalonicæ clericis de Theophane metropolita, quòd frumentum iis, quod debebat, non perſolveret: Imperator tum Theſſalonicæ commorans, hortatus Epiſcopum eſt, ne clericos iis, quæ eis legitimè debebantur, defraudaret. Cùmque is obſtreperet, neque obtemperare vellet: ſtatuit Imperator eum fraude circumvenire, & avaritiam ejus compeſcere. Mittit igitur quendam ſuorum miniſtrorum, mutuò ſibi dari petens unum centenarium, donec ſibi aurum Byzantio afferretur. Interpoſito jurejurando, negavit Epiſcopus habere ſe ultra triginta libras. Eo ſubmoto Imperator theſauros ipſius excuſſit, invenitque auri centenarios XXXIII. de his perſolvit clericis, quæ à primo Theophanis Archiepiſcopatus anno in eum uſque diem debebantur omnia, reliqua inter pauperes diviſit, & Theophanem Eccleſia abactum in quoddam prædium deportavit. *Cedrenus.*

Non Utuntur.

Tiberius Cæſar. Senatori lautum clavum ademit, cùm cognoviſſet, ſub Cal. Julii demigraſſe in hortos, quò viliùs poſt ædes in urbe conduceret. *Sueton.*

PRODIGALITATIS POENA JUSTA

Quæ. Qualis.

Græcis lege cautum erat, ut qui patrimonium prodegerat, ſepulchro patrio non humaretur, ſed externo. *Alex. l. 6. c.* 14.

Lege XII. Tabularum, prodigis bonorum ſuorum adminiſtratio interdicta eſt. Tandem iis quoque cœptum eſt à Prætoribus, vel Præſidibus curator dari exemplo furioſi: iſtaque is formula bonis interdici: Quando tua bona paterna, avitaque nequitia diſperdis, liberoſque tuos ad egeſtatem perducis, ob eam rem tibi ea re, commercioque interdico. *Val. Max. l. 3. c. 5.*

Florentini olim in decoctores, ac turpi judicio convictos, eoſque, qui Reip. debitam pecuniam ex magiſtratus præſcripto ad diem ſolviſſent, inter ærarios referebant, ſic ut jus ferendi ſuffragii, civitatiſque amitterent. Is autem, cui ea mulcta erat irrogata, adigi ad ſpeculum dicebatur: quòd in ea nota, tanquam in ſpeculo, & cenſum, & fortunas civium licebat intueri. *Brutus l. 1. hiſt. Florentinæ.*

Alphonsus Aragonum Rex, ☞ *Quære ſuprà inter Apophthegmata.*

QUIBUS INFLICTA. Puta

Senatoribus.

Tiberius Imp. Senatori cuidam luxurioſè viventi, tutorem, quaſi ſi pupillus eſſet, dedit *Dion. lib.* 57.

Filiis-Familias.

Q. Fabio Maximo filio Q. Fabii Maximi Allobrogici Q. Pompejus, Prætor Urbanus, paternis bonis interdixit: cùm dolenter homines ferrent, pecuniam, quæ Fabiæ genti ſplendori ſervire deberet, flagitiis, & luxuria diſiici. *V. Max. l. 3. c. 5.*

Maritis.

Lege Julia damnantur non tantùm ii, qui neque modo, neque jure legibus tradito, ab uxore divertunt, ſed qui dotem nolente uxore turpiter amittunt. *Alex. ab Alex. lib. 4. c. 8.*

AMBITIONIS POENA JUSTA.

☞ *Pete nonnulla ex Loco de Ambitione Tit. Ambitionis Fructus.*

Pertinet hic locus aliquo modo ad Magnanimitatem. Ut enim Juſti eſt juſta facere, & injuſtè agentes coercere: ita etiam Magnanimi, vel honores negligere, vel moderatè appetere, vel ambitionem aliorum refrenare. Verùm quia corrigit aliena vitia pœnis, & ſuppliciis, ideò ad διορθωτικὴν *Juſtitiam pertinet. Ad hunc ergo locum exempla, quædam ex Tit. Ambitionis reprehenſores, pertinebunt.*

EN

EN ΛΗΨΕΙ POENA, Scilicet Tyrannidis Affectatæ.

Salomon rex, mortuo patre, Adoniam fratrem, qui regnum affectarat jampridem, & nova arte Abiſag Sunamitidem virginem, quæ Davidem jam ſenem ſuis amplexibus foverat, in matrimonium poſtulabat, interfici à Banaja Jojadæ F. corporis ſui cuſtode juſſit. Præterea Abjathar pontificem, qui cum Adonia ſenſerat, ſacerdotio privavit, non tamen interfecit (propterea quòd Davidi arcam prætuliſſet, & omnium ejus errorum ſocius fuiſſet,) ſed in prædium ſuum relegavit: Joab denique polemarchum, partim propter defectionem Davide ad Adoniam, partim propter Abner, & Amaſæ virorum fortiſſimorum cædem, ad aram à Banaja trucidari curavit. *Regum* 2.

Cylon cùm Theagenis ſoceri ſui potentia, & opibus, civiumque nonnullorum conſilio, ad tyrannidem aſpiraret, arcem munitiſſimam Athenienſium occupaverat. Sed diuturna civium obſidione, & cibariorum inopia coactus, cùm fuga ſibi noctu conſuluiſſet: arce potiti Athenienſes, invenere conſcios, qui ad aram proſtrati ſupplices veniam poſtularent. Attamen is militum furor, atque indignatio fuit, ut ſupplicum alios in ipſo veluti deorum conſpectu, alios ab aris vi extractos interfecerint, quoſdam certè in judicium adduxerint. Populus Athenienſis utrumque iniquiſſimo animo tulit: fuiſſe & qui de tyrannide cogitarent, & quibus etiam patria, quàm ipſa religio eſſet antiquior. Hos itaque pro ſacrilegis habuit: & eos tamen, quos in judicium adduxerant, quia ſemel violata religio, ſatis illis judicandis expiata videretur, capite condemnavit. De iis, qui adhuc ad aras conſiſterent, quia Megaclis conſilium ſecuti, filum ad ſtatuam Minervæ alligatum manibus tenentes, quaſi non ab aſylo ceſſiſſe viderentur, in judicium venire auſi ſunt, & accidiſſet, ut filum ſua ſponte ſolveretur, placuit ex veriſimili deorum voluntate, in eos ſine fraude poſſe animadverti. Cæterùm id omnibus commune fuit, ut Cylonis memoria, atque univerſa poſteritas, item eorum, qui cum eo conſpiraverant, & deorum jura violaſſent, damnarentur, neve iis unquam eſſet in Attica, ut impiis, impuris, & abominandis, ulla commorandi facultas. Hi cùm ſe ad Lacedæmones contuliſſent, admiſſi non ſunt. Poſtremò Solonis temporibus, cum longo intervallo plurimi ex polluta, & contagioſa illa Cylonis familia ſe Athenas recepiſſent, & jam eorum anteà multi ibi ſepulti, alii tum etiam in ſumma auctoritate eſſent: ex indignatione, & odio tandem gravi ſeditione orta, factum eſt à Solone, ut accuſante Myrone Phliaſio, res, trecentorum hominum, quos ſortiti eſſent ex omnibus optimis, judicio committeretur. Apud tam graves judices nihil valuit diuturniſſimum ſpatium, nihil penè infinitæ multitudinis commiſeratio, nihil jura defunctorum, nihil inter puros, & impuros inita conſortia. Itaque pronunciarunt, videri omnem Cyloniam gentem migrare oportere, & qui in Attica ſepulti eſſent horum oſſa eruta, extra patriam eiici, & proiici. *Thucyd. lib. 1. & Plut. in Solone.*

Calippus Athenienſis Philoſophus, Platonis auditor, à Syracuſanis interfectus eſt, quòd tyrannidem poſt Dionyſium aggrederetur. *Plut. in Dione.*

Tyndarides inter Syracuſios nobiliſſimus, ac potentiſſimus, viam muniens ad uſurpandam tyrannidem, pauperes ære obrutos, atque infimos quoſque, ſpecie miſericordiæ alebat, ſuſtentabat, ſed eo certo animo, ut eorum opera ad regnum occupandum fideliter uteretur. Re indicata, & cognita, quia regnum affectaſſe probaretur, capite damnatus eſt. At cùm à judicio in vincula duceretur, quia ab eo ali, ac nutriri conſueverant, poſtquam ſtipato agmine eos adorti ſunt, qui reum ducerent: convenere primores civitatis, iſtoſque omnes ſeditioſos, ac rerum novarum cupidos, ſimul cum Tyndaride ad ſupplicium rapuerunt. Cæterùm quia Syracuſani ſæpiùs jam in ea pericula incidiſſent, multoſque ſtimularet in dies ambitio, ac libido occupandæ tyrannidis, qualem Athenienſes legem de Oſtraciſmo tulerant, & ipſi de Petaliſmo tulerunt. *P. Erodius ex Diodori lib.* 11.

Bomilcar. Carthaginenſis, obſidente urbem Agathocle, tempus veniſſe ratus occupandæ tyrannidis, cùm exercitui præfectus eſſet, recenſitis militibus, non procul ab antiqua Carthagine ſita, alios dimiſit: ſolos incepti conſcios retinuit, ex civibus numero D. ex mercenariis M. ſeipſumque tyrannum declaravit: militibuſque in quinque partes diviſis, progreditur, omnes in viis occurrentes occidendo. Facta per urbem fuga, ortoque graviſſimo tumultu, primùm quidem Carthaginenſes arbitrati ſunt hoſtes in urbem irrupiſſe. Sed rei veritate cognita, inventus concurrens inſtructa acie adversùs tyrannum contendit. Bomilcar occidens eos, qui in vicis erant, in forum properat, multoſque ibi inermes cives trucidat. Carthaginenſes occupatis, quæ circa forum erant altis domibus, conjuratos expellunt. Mox cùm cives omnes armati concurriſſent, contra eos, qui defecerant, caſtra faciunt. Tandem miſſis legatis, & impunitate conceſſa, utrimque deſtiterunt, & in reliquos injuriarum memores non fuerunt, propter impendentia urbi pericula, ſed Bomilcarem graviter cruciatum vita privarunt, jurisjurandi nulla ratione habita, *Diod. lib.* 20.

P. Val. Poplicola tulit legem de interficiendo, indicta cauſa, eo, qui regni occupandi iniſſet conſilia. Percuſſori impunitatem dedit, ſi indicia ſceleris demonſtraſſet. Quia enim, qui res molitur tantas, facere non poſſit, ut omnes fallat: fieri autem poſſit, ut qui non fefellerit, judicia antevertat potentia opprimere, cognitioni, quam eripit ſcelus, anticipandæ ei, cui facultas eſſet, jus fecit adversùs ſceleratos. *Plut. in Valerio.*

M. Manlius patricio genere ortus, qui Gallos ex Capitolio depulerat, ſui præclari facinoris laude tumidus, & geſtarum rerum gloriam Camillo invidens, primò victorias comparando, patriam à Camillo nunquam recuperari potuiſſe dictitabat, ſi non à ſe Capitolium defenſum eſſet. Gallos prætereà inter aurum accipiendum, & ſpem pacis incautos velut inſidiis ab eo oppreſſos, ſe ex Capitolio ex arce jam capta dejeciſſe. Jam enim meritum ſuum omnium animis excidiſſe, ſolum Camillum in urbe gratia, & auctoritate florere, ſolùm exercitus ductare, cui non ſatis eſſet Romanas legiones ſubiici, niſi & collegæ, qui paribus auſpiciis, & eodem ſuffragio creati eſſent, pro miniſtris ab eo haberentur. Nec interim Senatui parcere, qui Camillum complexus, cæteros viros fortiſſimos inhonoratos vellet. Quibus ille non contentus primus patriciorum popularis factus, cùm Tribunis plebis conſilia conferre ad agrarias leges, & ad æs alienum, quando ſuprà modum invaluiſſet, diſcutiendum concitare, ſeque auctorem ad omnia audenda pollicebatur. His motibus perculſi patres: enim verò Manlius homo vehementi ingenio, ſummoque loco natus, multum per hæc ſeditionis concitaturus putabatur. Prætereà quia grave bellum ab Hetruſcis, & Latinis impendebat, Dictatorem dicendum cenſuere. Aul. Corn. Coſſus eſt dictus, qui magiſtrum equitum, T. Quintium Capitolinum dixit. Super alia multa Manlii atrocia dicta, factaque cùm centurionem pecuniæ addictum è foro abduci vidiſſet: cum ſuorum caterva impetu facto, creditoribus manum injecit. Inde in patrum avaritiam, & ſuperbiam invectus, fruſtrà à ſe Capitolium ſervatum prædicabat, ſi civem ſuum in nervos, & in vincula, velut bello captum impunè trahi pateretur. Hæc ille, & alia acerba, in totius ordinis invidiam locutus, rem ſimul palàm creditori perſolvit, ſolutumque alieno ære domum dimiſit. Precari ille forenſi turbæ immixtus, deoſque, & homines obteſtari, ut M. Manlio, ſuæ libertatis aſſertori, gratiam pro tanta in ſe liberalitate, vel cumulatiſſimam relatam vellent, ipſe præceps in popularem auram, fundum, quem in Vejenti poſſederat, præconi ſubjecit: teſtatus quamdiù ex privatis fortunis ſupereſſet aliquid, haud paſſurum ſe ſuorum civium quempiam in nervos, & vincula à creditoribus abduci. His erecta vocibus plebs, per æqua, & iniqua ſecutura videbatur ſuorum commodorum auctorem. Dictator evocato in curiam Senatu, patrum multitudine ſtipatus, in forum deſcendit: inde ſella in comitio poſita, viatorem ad Manlium miſit, qui teſtatus certamen ingens adeſſe, cum multitudine ſuorum ad tribunal venit. Hinc patres, inde plebs ſuum ducem intuentes, velut in acie diverſi conſiſtere. Tum juſſus omnibus ambagibus miſſis indicium auri Gallici, quod patres occularent, peragere, aut fateri ſcelus inſimulati falsò criminis Senatus: cùm negaret ſe arbitrio inimicorum locuturum, in vincula Dictatoris juſſu eſt ductus, Jovem, & cæteros deos teſtatus, rem indignam fieri, ſervatorem patriæ, quia Romanæ plebi gratificaretur, in catenas, & vincula abduci, neque oculi multitudinis, neque aures eam indignitatem ferre potuerunt. Cæterùm Dictatoria majeſtas effecit, ut neque Tribunus plebis, neque plebs ipſa, attollere ſit auſa frontem, aut hiſce. Satis conſtat, Manlio in carcerem conjecto, magnam partem plebis veſtem muraviſſe, multos etiam barbam, & capillum, ut in domeſtico luctu promiſiſſe. Intereà multitudo accenſa, apertè ſe carcerem refracturam minitari, niſi Manlius vinculis eximeretur. Quod ne fieret veriti patres, Senatuſconſulto eum liberarunt. Tum verò non modò non ſeditio ſuppreſſa eſt, ſed dux ſeditioni reſtitutus, ita ut regnum, quoq; jam affectare videretur, juſſi ita-

que Tribuni militum diligenter advertere, ne ex tam nefario A ſcelere majus aliquod Reſpublica caperet detrimentum. Ergo Patribus id probantibus, diem Tribuni Manlio dicunt. Mirum primò fuit populo, quòd nemo cum eo, ne fratres quidem veſtem mutarint. Apparuitque magno conſenſu totius ordinis judicium conſtitutum. Ubi verò dies affuit, quid præcipuè illi ſit objectum, Livius haud diſertè poſuit. Cæterùm atrociſſimum ejus accuſationis caput fuiſſe, vel ex eo credere par eſt, quod non tam tempus, quàm locus impedimento fuerit, quo minus ſtatim damnaretur. Quadringentos circiter cives produxit in medium, quos creditoribus addictos gratuita pecunia nexu liberaverat. Protulit & triginta ſpolia cæſorum hoſtium militaria dona quadraginta ab Imperatoribus accepta: in quibus duæ fuerunt Murales coronæ, octo Civicæ. Producti ſunt & cives ab hoſte ſervati, & in his C. Servilius abſens, quòd magiſterio equitum fungeretur, quæ belli decora cùm magnifica Manlius oratione dicendo exæquaſſet, pectus nudavit, multis cicatricibus bello acceptis inſigne, inde Capitolium intuitus, Jovem, alioſque deos, qui loco præſidebant, in fortunarum ſuarum auxilium devocat: precatus, ut quam ſibi mentem, cùm hoſtes ex arce depulit, dediſſent ad ſalutem populi Ro- B mani, eandem ipſi civitati in ſuo diſcrimine darent. Poſtremo ſingulos obteſtari, ut ſuffragium de ſe laturi, Capitolium, & arcem ſpectarent. Prioris vitæ merita, & oratio ad id compoſita in cauſa fuerunt, ut Tribuni non auſi ſint Romanas tribus in campum Martium ad ſuffragium vocare, unde Capitolium, & arcem in conſpectu haberent: veriti, ne tam recentis meriti memoria præſenti judicio obſtaret: ſed producta die populum in Petelinum lucum extra frumentariam portam advocavere, ibi civium oculis locorum facie liberatis, plus crimen valuit, quàm meritum. Damnatus Manlius Populi ſuffragio, ex Capitolina rupe præcipitatus eſt: atque ſic accidit, ut idem locus in uno homine gloriæ eximiæ fuerit, & extremi ſupplicii monumentum, unaque fœda regnandi cupiditas, quòd cæteris mortalibus documento eſſe poſſit, tanti fuit, ut multa præclara alioqui ejuſdem geſta, non ingrata ſolum, ſed inviſa etiam ad populum extiterint. Sunt notæ mortuo adjectæ. Cautum, ne patricius in Capitolio, aut in arce habitaret ampliùs, ne in C Manlia gente quiſquam Marci prænomen ferret. *Sab. l. 1. Enn. 4. Liv. & Plut. in Camillo.*

Viguit in Rom. civitate Tiberii, & Caii Gracchorum ſumma nobilitas, ac ſpes ampliſſima. Sed quia ſtatum civitatis conati erant convellere, inſepulta cadavera jacuerunt, ſupremuſque humanæ conditionis honos filiis Gracchi, & nepotibus Africani defuit. Quinetiam familiares eorum, ne quis Reipub. inimicis amicus eſſe vellet, de robore præcipitati ſunt. *Valer. Maxim. l. 6. cap. 3. & Plut.*

P. Mutius Tribunus plebis omnes collegas ſuos, qui duce Spurio Caſſio id egerant, ut magiſtratibus non ſubrogatis Communis libertas in dubium vocaretur, vivos cremavit. Unus Tribunus eam pœnam novem collegis inferre auſus eſt, quam novem Tribuni ab uno collega exigere exhorruiſſent. *Ibidem.*

Sp. Caſſio Coſ. diem dixere perduellionis, & affectatæ tyrannidis ad populum: Cæſo Fabius, & L. Valerius Quæſtores eum haud ſatis habuiſſe, jus civium Romanorum Latinis concedere, in hoc ampliùs, agri ab Hernicis adempti, partem dimidiam Latinis, alteram Populo Romano divideret: D item legem Agrariam propoſuiſſe inconſulto Senatu, & collega ſuo Proculo Verginio non approbante, nedum majori parte plebis. Ut commoda, utiliſque lex ea fuerit: tentaſſe nihilominus ſuam hanc unius facere munificentiam, atque liberalitatem, quæ totius Senatus, omniumque magiſtratuum eſſe debuerit. Juſſiſſe, multitudinis ſibi conciliandæ cauſa, ut pro Siculo frumento pecunia accepta populo divideretur. Peſtilentibus iſtis muneribus viam regno fieri, largitione periculoſas libertati opes ab eo ſtrui, denique ne jam conjecturis agatur, ei, pecuniam Hernicos, Latinoſque contuliſſe: pro Coridano duce, Caſſium parari. Hac probè inſtructa accuſatione, populi judicio damnatus, de ſaxo Tarpejo dejectus eſt: ædes ejus publicè dirutæ: bona publicata ſunt. Sed cùm de liberis ejus interficiendis ageretur, durior, & immanior iſta ſententia viſa eſt, parentum noxa innoxios premi: hos itaque liberari Senatus cenſuit. *P. Erod. ex Dionyſio Halicarnaſſeo, lib. 8. & Tito Livio, Dec. 1. lib. 2.*

Orgetorix apud Helvetios nobiliſſimus, atque ditiſſimus fuit. Is regni cupiditate adductus, conjurationem nobilitatis fecit, ut regno occupato, totius Galliæ imperio potiretur. Ea res ut Helvetiis per indicium enunciata eſt, moribus ſuis Or- E getorigem ex vinculis cauſam dicere coegerunt. Damnatum pœnam hanc ſequi oportebat, ut igni cremaretur. Sed cùm die conſtituta cauſæ dictionis adveniſſet, hominibus armatis, ne cauſam diceret, ſe eripuit. Itaque civitas cùm ob eam rem incitata armis jus ſuum exequi conaretur, multitudinemque hominum ex agris Magiſtratus cogerent, ſibi ipſi mortem conſcivit. *P. Erod. ex I. Cæſ. l. 1. de bell. Gall.*

Sejanus homo potens apud Tiberium Cæſarem, & ſuperbus, cùm Druſo aliquando alapam dediſſet, eaque de cauſa & Druſum, & ipſum Tiberium metueret, ſimulque ſperaret, Druſo ſublato, Tiberium ſibi magis opportunum fore; per quoſdam miniſtros, & uxorem Juliam ſtupro ſibi cognitam, venenum ei propinavit. Eum verò tandem Tiberjus, ad magnam auctoritatem evectum, deſponſaque Julia Druſi filia, curavit à Senatu capitis condemnandum: ejuſque cadaveri per triduum projecto vulgus inſultavit, deinde in Tiberim projecit. *Zonaras.*

Cleander Phrix genere, ex ea hominum nota, qui publicè per præconem anteà veniebat, cùm in domum Imperatoriam ſervitio traditus, eo ſcilicet honoris, atque auctoritatis provectus eſſet, ut & corporis cuſtodiam, & cubiculi F curam, præterea militum præfecturam ſolus obtineret, divitiæ, ac luxus etiam illum ad Imperii ſpem pepulerunt: ideòque grandi pecunia coacta, plurimum frumenti comparaverat, quod hac induſtria diù latens in horreo tenuit, ut Populum Romanum, atque exercitus anteà rerum penuria laborantes, mox ſibi magnis largitionibus demereretur. Sed & gymnaſium utique maximum ædificaverat: publicatis etiam balneis, ut iis artibus populum ineſcaret. At id profectò accidit, ut nihilominus infenſiore uteretur. Cùm itaque totius peſtilentiæ cauſam in eum univerſi coniicerent, dum intereà Commodus in ſuburbanis agit, ſubitò magnis clamoribus adeuntes, Cleandrum ad necem poſtulant. Commodus in alto receſſu voluptatibus indulgebat, quamobrem eorum omnium inſcio, quæ gerebantur, Cleander immittit equites, qui obvium quemque ſummoverent, vulnerarent, occiderent. Re ad ſeditionem prolapſa, cùm Cleandri potentiæ metu nemo inveniretur, qui quid Commodo nunciare vellet; tan- G dem extitit maxima natu ſoror Commodi Fadilla, quæ Imperatorem otium agentem, & oſcitantem impellit, excitat, & de omnibus certiorem facit. Itaque ad ſe Cleandrum nihil dum malè ſuſpicantem acciri jubet. Huic protinus caput amputatur, & conto præfixum, per urbem circumfertur. Sed & liberi Cleandri, & quotquot illius amici ſociique fuerant, omnes ad unum trucidati, & tracta per urbem eorum cadavera, ac contumelioſè habita, poſtremò etiam in cloacas abjecta ſunt. Ita ſeditio ſopita eſt. *Erod. ex Herodiano lib. 1.*

Plautianus, cujus apud Severum Romanorum Imp. maxima erat auctoritas, poſteaquam morte affeciſſet magnum numerum Romanorum, nullam civitatem reliquiſſet, quam non prædaretur, proque ſuo arbitrio in quoſcunque ſine diſcretione ſæviret, expilaret omnes: tyrrannidis affectatæ reus, turpiter occiſus eſt, atque ſtatuæ ejus in perpetuam hominis ignominiam dejectæ ſunt. *Dion. & Xiphilinus in Severo.*

In illo prælio, quo apud Lugdunum, inter Severum, & H Albinum ſumma contentione pugnatum eſt: Lætus dux exercitus Severiani fuit. Is eventum pugnæ expectaſſe dicitur, cunctatus de induſtria, ac retento milite, ut ſibimet Imperium vindicaret: itaque non priùs in prælium pedem protuliſſe, quàm ei Severum cecidiſſe falsò allatum eſſet. Hoc merito nomine, rebus omnibus ex ſententia compoſitis, Severus Lætum proditorem, ac perfidum, capite condemnavit. *Herod. l. 3.*

Diocletianus Imp. factus, concionantem Aprum, interfecto Numeriano genero, ob regnandi libinem manu ſua confodit, inquiens: Hic eſt auctor necis Numeriani. Gloriare Aper, magni Æneæ dextra cadis: quaſi Aprum fatalem occideret, ut Imperium aſſequeretur: quemadmodum ſibi olim Gallicana Dryas vaticinata fuerat: Tum Imperio potiturum, cùm Aprum occidiſſet. *Cuſp. A. D.*

Attalus Romani ſanguinis vir haud ignobilis, inane Imperii ſimulacrum accipiens, cum Gothis ex Africa uſque ad Hiſpanias portatus eſt, miſſis aliquot in Africam, qui jus dicerent, ipſe navi ſubſequutus, incerta moliens, in mari captus eſt, & ad Conſtantium deductus, deinde Imp. Honorio exhibitus, truncata manu vitę relictus eſt, deportatus in Liparam. Cùm autem Tertullus conſul iterum revocaſſet Attalum: captus iterum

Attalus Romæ, ad Ravennam Conſtantio miſſus ad ſuppli- A cium, læva manu, quæ ſola illi reliqua erat, truncatus, ad ludibrium eſt Conſtantinopolim miſſus. *Idem.*

Procopius tyrannus Orientis, amiſſo exercitu præter ſpem, per nemora paucis comitantibus per noctem vagatus, manè à ſuis captus, Imperatori eſt traditus Valenti: qui abſciſſa ei cervice, diſcordiam civilem ſedavit. Alii tradunt, Procopium duabus arboribus inflexis, pedibus colligatum fuiſſe, quæ dimiſſæ in aerem, locum ſuum repetentes, Procopium diviſerunt per medium. Qui etiam Procopium Imperatori tradiderunt, contra jusjurandum quod eis præbuit, ſerris crudeliter diviſi perempti ſunt. Hunc finem vitæ ſortitus eſt Procopius, anno quadrageſimo primo. *Idem.*

Theodosius Honorium, & Arcadium, quos ex Flacilla filios ſuſceperat, conſortes anteà quidem Imperii fecerat. Sed moriens, quia nondum ætas matura Imperio eſſet, teſtamento Rufinum Arcadio, Honorio Stiliconem Vandalum adjunxit, quorum conſilio Arcadius Conſtantinopoli, Honorius Romæ res gererent. At cùm Rufinus primùm adversùs Arcadium, Alaricum Gothorum Regem ſollicitaſ- B ſet, hoc animo, ut ſub eo motu, & rebus turbatis, diadema Orientis non ambitu, ſed quaſi neceſſitate capiti ſuo imponeret, atque etiam Stilico quantumvis ſocer Honorii alia, & ſecretiore via filio ſuo Eucherio tyrannidem pararet, itaque & poſtremò Suevos, Vandaloſque, & Alemannos ad inferendum bellum Honorio malitioſè attraxiſſet, ambo pernicioſi tutores detectis inſidiis, ac dolis damnati ſunt: Stilico Romæ cum filio in foro Pacis occiſus eſt: Rufini caput cum dextra manu ante portas Conſtantinopolis appenſus, affixum eſt. *P. Ærod. ex Oroſio l. 7. c. 37. & 38. Pomp. Læto, in Theodoſio, & P. Diac.*

In Africa Gildo Comes, parùm ſibi ab Imperatoribus Arcadio, & Honorio tranquillitati deditis metuens, ſperavit ſumptis armis Imperio Africæ ſe citrà magnum laborem potiturum. Cæterùm frater ejus Maſcezel, vel (ut Paulus Diaconus habet Macezil de eventu paulò accuratiùs cogitans, Honorio Imp. facinus indicat. Gildo fratris, tanquam proditoris filios crudeliter necat. Adeſt intereà Maſcezel cum quinque millibus armatorum: cui Gildo cum octoginta, vel (ut Paulus ait,) C ſeptuaginta millibus occurrit. Commiſſa acri pugna, Gildo in fugam vertitur, & navi conſcenſa, miranda Dei ultione, vi tempeſtatis demùm in littus eiicitur. Comprenſus ergo fratris juſſu, velo ſtrangulatus eſt. Hac victoria elatus Maſcezel animum & ipſe adjecit ad Africam occupandam, ſed à militibus ſuis occiſus eſt, juſtas ſeditionis pœnas luens. Circa annum Domini 402. *Cuſp. A. D.*

Cùm Gratianus Romanus negligeret milites, & paucos ex Alanis amplis ſtipendiis aleret, & Barbarorum amicitia, comitatu, & habitu uteretur: exercitus Romanus id ægrè ferens, in ejus odium Maximum quendam, virum ſtrenuum, Imperatorem in Britannia creat. At is contra ſacramenti fidem in Galliam tranſiens, Romanas ſibi adjunxit Legiones: & Gratianum Merobaudis magiſtri militum proditione vicit, & fugientem Lugduni dolo Andragathii cepit, & occidit, & Valentinianum Juniorem coegit ſuum Imperium approbare: cumque unà cum ſuo adminiſtratore Probo Italia expulit, filiumque ſuum Victorem conſortem regni creavit. Cùm autem Maximus legationem ad Theodoſium miſiſſet, & Occidentis partes ſibi cedi poſtulaſſet, Imperator eam neque reprobavit, neque rece- D pit: ſed collectis copiis Mediolanum venit, & cùm contra Maximum aciem inſtrueret, milites apparatu Theodoſii abſterriti, Maximum, quem crearant Imperatorem, ceperunt, & victum Theodoſio tradiderunt. Andragathius, qui Gratianum occiderat, de ſua ſalute deſperans, in flumen à navi proſiliit, & ſubmerſus eſt. Maximus autem tertio ab Aquileja lapide ſpoliatus inſignibus Imperatoriis, capite mulctatus: & filius ejus Victor ab Arbogaſte in Galliis interfectus eſt. *Socrat. lib. 5. c. 11. Proſper. in Chron. P. Diac. lib. 11.*

Amantius quidam cubicularius Juſtini, regnum affectans, & multa pecunia ſibi populi favorem concilians, amicum ſuum Theocritum clàm ad regia ſepta evehere tentavit. Juſtinus re cognita; utrumque è medio ſuſtulit. *Evagr. l. 4. c. 2.* Vitalianum quoque, qui anteà Anaſtaſium Imperio pellere voluerat, blanditiis ad ſe pertractum, dolo occidi mandavit. *Idem.*

Arthemius, qui ab Imperio deturbatus à Theodoſio monaſticam vitam elegit, & quieti ſtuduit, dum ambitionis ſtimulo correptus ſub Leone III. ſuaſu Nicetæ militum magiſtri denuo ſe fluctibus, ac procellis Imperii immergere meditatur: Bulgarorum proditione periit inſperatò, cùm multò diutiùs vitam ſuam potuiſſet extendere. *Cuſp. A. D.* E

Thomas dux Legionis fœderatorum, ſub Leone Armenio regnum affectavit. Eo cæſo, Michael Balbus Thomam Adrianopoli obſedit. Cives inopia annona victi, tyrannum Imperatori tradunt: qui eum manibus, & pedibus truncatum, in aſino circumduxit. *Zonaras.*

Felicianus Zaachus, Carolo I. Hungarorum regi familiaris, cùm opibus, & dignitate creviſſet, tyrannidem invadere decreverat. Itaque Regem de more ſolus adiens, ſtricto enſe feriit. Rex ictu evitato profugit: ac Reginæ quatuor digitos abſcidit. Pueros regios pædagogi ſuorum obiectu corporum vix protexere. Tumultu excitati ſatellites, parricidam membratim diſcerpſere. Feliciani F. bigis diſtractus, canibus & porcis cum patre præda fuit. E filiabus Clara, quæ reginæ famulabatur, labiis, naribus, octoque digitis mutilata, per compita circumducta, in triviis alta voce proclamare fuit coacta: En digna proditionis præmia. Altera Sebe, capite mulctata eſt, marito per inediam in carcere necato, filiis Rhodon relegatis, amicis extremo affectis ſupplicio. *Bonfin. lib. 9. Dec. 2.*

Bajamundus Teupolus Venetus patricius, duceque pa- F tre ortus, animum adjecit, ut libertatem patriæ opprimeret, cæſo duce, cæſiſque Senatorii ordinis viris ferè omnibus, qui ſibi obſiſtere auderent: ut meritò hunc alterum Catilinam dixeris, qui tam claris majoribus editus, ab eorum nobilitate degeneravit. Neque verò defuerunt multi patricii ordinis, qui Bajamundum auctorem tanti ſceleris ſecuti ſint. Certa die aream Marcianam magna manu ingreſſus, principem ipſum, & reliquos patres Venetos obviàm habuit, qui rem totam anteà reſcierant. Qui conſtantiſſimè illi occurrentes, adjuti etiam Ugolini Juſtiniani Clodiæ prætoris opera, qui cum multis Venetias advolaverat, fortiſſimè pugnarunt. Eo fuſo, fugatoque, cæſiſque non paucis nobilibus, libertas in ſuo gradu conſtitit. Qui poſteà ſupplex, facti tam nefarii petita venia, reliquique omnes, qui conſcii fuerant, partim ſecuri ſubiecti, partim perpetuo exilio damnati ſunt, *Egnat. lib. 3. cap. 5.*

Marinus Falerius Venetorum dux, cùm jam novem menſes Rempublicam adminiſtraſſet, animum ad regnum adjecit. Statuerat Optimatibus cæſis Rempublicam invade- G re. Quod ipſum, ut commodiùs conſequi poſſet, multos ex eo ordine, quem Popularem vocant, ad infandam cædem præparaverat, & aliquot etiam ex ipſa nobilitate. Negotium patrandæ cædis ſexdecim facinoroſis hominibus, principibus conjurationis, datum, quorum ſinguli cum ſexaginta armatis in curiam ſtatuto tempore erant impetum facturi. Convenerat inter eos, ut poſtridie Idus Aprilis repentè vanos per urbem rumores diſſiparent, hoſtem adeſſe, ejus triremes ante portum cum tumultu adnavigare. Princeps confeſtim ad arma conclamari, campanamque ex ſumma turri pulſari juberet. Quo ſigno conjurati ſuis ſedibus exciti, diverſis itineribus armati (quaſi Principis, patrumque imperium facturi) in curiam venirent. Ibi tum liminibus inſeſſis in Patres, qui aut conſultaturi de Republica, aut ad alia obeunda munera eo veniſſent, atque in cæteram nobilitatem ferrum ſtringerent, ad unumque trucidarent: ac tum demùm Falerius non princeps ampliùs, ſed dominus ſalutaretur. Sunt, qui tradant, ſtatuiſſe eos patricio nomine extincto, civitatis adminiſtrationem populo permittere. Erat Beltrandus quidam, homo plebejus, ex principibus con- H jurationis unus: is pridie illius diei, qui cædi deſtinatus erat, pœnitentia tanti ſceleris ductus, ædes Nicolai Leonis, patricii hominis, ac compatris ſui primis tenebris clandeſtinè ſubiit, remque illi ſummotis arbitris omnem aperit. Is patribus ordine narravit. Sexdecim ergo conjuratorum principes, ea nocte ferè omnes in poteſtatem patrum redacti, ac ſceleris convicti, unà cum ipſo Falerio ad unum ſuſpendio necati ſunt, reſte ex ipſis columnis ſuperiore parte curiæ demiſſi. Inde iis, quibus id negotium datum fuerat, acerbiſſimam de conjuratis quæſtionem habentibus, ad quadringentos intra octo dies ſceleris convictos fuiſſe ferunt: multos quidem, ſed non uno ſupplicii genere necatos: ita ut alii ſuſpendio mulctati ſint, alii ſecuri percuſſi, quidam etiam alto mari depreſſi. Multis, qui ſe conjuratis affuturos dixerant, non tamen ſceleris participes facti, venia data eſt: ſed etiam ignominioſa ſuſpicione notati, ut pudore aliqui, plures verò metu, cũ uxoribus, & liberis urbe omninò exceſſerint: hi numero quingenti fuiſſe traduntur. Indici conjurationis non ſolùm venia data eſt: ſed annum ſtipendiũ mille aureorum nummorum de-